
NAZIONALE
VITT. EMANUELE
ROMA
BIBLIOTECA
55
8 K
1

SEBAST. PISSINII

Lucensis Medici atq; Patritij

DE DIABETE

DISSERTATIO

In qua eius natura accuratè describitur, & plurima tàm ad eiusdem cognitionem, quàm curationem spectantia, non dum satis animaduersa discutiuntur.

ACCESSIT EIVSDEM EPISTOLA

DE CORDIS POLYPO


Ad Carolum Andrianum Med. ac Phil. praestan.

EM.MO ac R.MO PRINCIPI

MARCO ANTONIO FRANCIOTTO

S. R. E. CARD. AMPLISS.







MEDIOLANI,

Apud Impressores Archiepiscopales. M. DC. LIV.


Ad instantiam & sumptus hæred. Io: Baptistæ Bidelli.







EM.^{MO} ac R.^{MO} PRINCIPI MARCO ANTONIO FRANCIOTTO S. R. E. CARD. AMPLISS.



Xoriente ſole, non roſæ tantùm, ac lilia, quæ floræ placent, pulchritudinis ſuæ venuſtatem aperire ſolent; ſed & plantulæ, quibus natura flores inuidit, quaſi ſolem ſalutaturæ aſſurgunt, foliola explicant; & cum cęleſtis veneranda syde-

ris facies illas aſpexerit, aſpici, & contrectari gaudent, ac geſtiunt. Hæc, quã modò Eminentiæ Tuæ MARCE ANTONI Card. Ampliſsime offero, quòd florum ornatu careat, & in horto noſtro literario ſitu victa, ac quaſi ſqualore confecta diù iacuerit; non ideò prorſus contemni debebit. Nàm ab vrtica, & vepribus, ſub quibus illa ſuffocabatur; quantùm quidem per me fieri potuit vindicata, & nominis tui ſplendore potiſſimùm decorata; iuri ſuo, vt ſpero, reſtituta videri poterit. Et verò quis non fortunatum, ac fœlici ſub sydere natum exiſtimabit, quicquid ſub clariſſimi nominis tui protectione natum, vel commendatum fuerit? Ea eſt tuarum Virtutum celebritas, ea morum ſuauitas, ea vitæ integritas, ac ſanctimonia, vt omnium oculos in ſe iurè conuerterint; & ab eximia luce non parùm ſplendoris,

quæ-

quæcunque Eminentiæ Tuæ proxima fiunt indubitanter accipiant. Calamum vlteriùs iturum cohibeo; ne cum dixerim, quæcunque citrà adulationis ſuſpicionem à me dici poſſent, parum tamen dixiſſe videar. Hoc autem leue grati animi argumentum Eminentiæ Tuæ dicare mihi placuit; non vt grates referrem pro innumeris beneficijs in me collatis & ab Eminentia Tua, & à Nicolao heù quondam fratre, Viro integerrimo, *& cuius vera*, Plinij verbis appoſitiſſimè vtar, *& incomparabilis inuicti animi ſublimitas*, nemini non nota refulſit; ſed vt obſeruantiæ meæ ergà Illuſtriſſimam familiam tuam teſtimonium aliquod etiam ad poſteros tranſmitterem; Opto interim Eminentiæ Tuæ fęlices illos dies, quos boni omnes eidem optant; in quibus Illuſtres, ac Vniuerſo Chriſtiano Orbi proficuos fructus afferre valeas, & hono-

 3 res,

res, ac dignitates, quas non ſemel ab alijs Nobiliſſima tua Familia accepit, aliquandò alijs diſpenſare diſcat.

Lucæ Cal. Maij M.DC.LIV.

Eminentiæ Tuæ

Addictiſs. & obſequentiſs. Seruus

Sebaſtianus Piſsinius.

PHI-

PHILOTIMVS DIDASCALICVS
Med. atq; Phil. D.

AD LECTOREM.

NVlla Diabetis diram compescere visa est
Vnda sitim, effuso, dum fluit vnda sale;
Attamen hic videas latices dulcescere salsos
Arte noua, & rabidam longiùs ire sitim.
Longiùs ire iubet PISSINIVS; At noua fortè
Ex dulci eloquio, te premet indè sitis;
Sed bibe, ne dubites, sitientes namq; iuuabis,
Explebisq; tuam, lector Amice, sitim.

PETRI ANGELI MAGRINII
Lucensis Patritij.

Anagrammatismi

SEBASTIANVS PISSINIVS



PIVS, ABSTINENS, A VITIIS,
SIBI, SVIS, NATVS SAPIENS,
IS SANVS IPSIS SVBVENIT
SANIS, SIVE PATIENTIBVS.

SCI-


SCIPIONIS BENDINELII

Lucensis Medici, ac Phil. præstan.

DECASTICON.



Viuit iò genus humanum, stetit æthere nimbus,
Deucalion mersum gurgite restituit.
Sed terram super instar aquæ dilabimur omnes,
Et sæpè in latices vita liquata fluit.
Plaudite gens hominum, valet æger, restitit Vnda,
PISSINI virtus præcauet illuuiem.
Quò valuisse magis præstat, quàm viuere, frontē
Hoc magè PISSINI Ciuica serta decent.
Immò huic tot dentur vitæ, quot præripit Orco;
Naufraget HISq; vacans, cymba Charontis
AQVIS.



Dc

De Perill.[ri] ac Excell.[mo] Dño SEBASTIANO PISSINIO Phil: & Med: Primario Patritio Lucensi.

ANAGRAMMATA

SEBASTIANVS PISSINIVS LVCENSIS
SVB ISTIS ANNIS SENSVS ÆSCVLAPII.

SEBASTIANVS PISSINIVS LVC.
IS CIVIBVS SPES VNA SALVTIS.

SEBASTIANVS PISSINIVS
SAPIENS INTVS ABYSSVS

SoliS svbdvctvm post Ignem incæpit ab ArcE
BaccAri macies mvNdo, simvl ac feBris atrA
Semotvm Privs et læThvm lachrYmabile veniT
Iapetidis scelvs, Inde Virvm esSet vita peremptA
Ni institvisset opEs siStenS tvnc fvnera phæbVS
Plavsit appollineo NatVra redempta laborI.
Sed iam nostra cadenS crebris langvoribvs ætaS
Ingemvit sacra faNa epidaVri, cvm cito nvmeN
Immissvm asclEpii ScrvtaSsvb pectore sensVS
Lvcæ annis Istis, qVod servanS corpora lvctV
Cocyti, pvPpim falliTvacvam in stYgis amnE.
NectAntvr qvercvs, caNat æqvis lavdibvs orbiS
Iste eSt certa etenim spes cIvibvs vna sAlvtiS

Eiusdem.

ELOGIVM

En
Æſclepij Soboles, Sapientum Coriphæus, Medicorum Archiater
SEBASTIANVS PISSINIVS,
Lucenſis Patritius, Med. & Phil. Doctor.
Vir Encyclopędia ornatus
Ingenio, genere, moribus
Præclarus, Egregius, ingenuus;
Ætatis ſuæ
Annum agens tertium ſupra ſeptuageſimum,
Artis verò
Vltra quinquageſimum.
Hic
A quocumquè ſuſpiciatur mortali
Ab omni celebretur Æuo;
Semper enim in omnibus
Cordatus & Idem
Semperq;
Poſteritatis magis, quam proprijs proſpiciens commodis
Auream, quam DE CORDIS PALPITATIONE elucubrationem
Concinnè exarauit,
Iamdudùm
In Gloriæ aream ad immortalitatis Aram
Protulit contulit;
Et quia ſe Delphica Stirpe ſatum recordatus
Genio indulgens
Ac genuinæ Vrbis; & Orbis incolumitati conſulens,
Hodie iterùm
DE DIABETE
Facundam Diſſertationem, gemmeoq; ſale fæcundam
DEQ; CORDIS POLYPO
Epiſtolam tam nouitate, quàm eruditione admirandam,
Inſubribus conſignat Typis.
Huic igitur
Literario Apollini
Sapientiæ Cultori
Gentium Conſeruatori
Vates vnanimes, ac Ciues
Debitos perſoluant Plauſus, Pæana concinant tergeminatum.

Ac

Ac omnes certatim Terrigenæ
Ex ſacra Lauru, triumphaliq; Quercu
Serta adornent;
Eximium enim ſuæ Virtutis facinus
Hoſce tantos iamdiù promeruit Honores,
Dum
Libitina in peſtilenti tempeſtate bacchante
Lætus exturbans, exterminans lethum,
Non tantùm
Suæ Reipublicæ tutandæ ergo,
Quàm
Seruandæ ac Æternitati ſacrandæ
Imminenti cladi Fatali exitio
Prudentia pluſquàm ſenili, mira doctrina, ac improbo labore
Aſsiduò
Conſuluit, & præfuit;
Numquam ſibi impar, dum Atlanti par
Tantæ molis Prouinciam tot malis obrutam
Fœliciter ac faciliter
Suſtinuit.
Quid plura?
Excerptas ſupprimat calamus ex calamitatibus laudes.
Encomia reticeántur omnia.
Hoc vnum ſatis
Quod
Nomine & omine
SEBASTIANVS PISSINIVS
Nec melius, nec magis appoſitè poſsit exprimi
Quàm
SIBI, SVIS NATVS SAPIENS.

Itá
Δόξῃ τῇ διδασκαλικῇ σφόδρα συνηδόμενος
Carolus Andrianus
P. P. P.
M. D. C. L I V.

Ad Perllluftrem & Adm. Reuer. Dominum Iacobum Philippum Butium Reuiforem &c. vt videat, & referat &c.

Fr. Petrus Hyacinthus Donnellius Inquifitor Mediolani &c.

SEbaftiani Pifinij Medici eruditiffimi differtationem de Diabete, & Epiftolam de cordis Polypo ad me tranfmiffas vidi, cumque nil contineant, quod vel religioni vel bonis moribus repugnet, fed tantùm demonftrent prædictorum morborum cognitionem, ac curationem, vt publicæ faluti confulatur; ideo eofdem imprimendi facultas concedi poteft à Paternitate Veftra Reuerendifs., quam Deus O. M. pro catholicæ Reipublicæ bono diù feruet incolumem.

Ego Iacobus Philippus Butius Doctor Collegij Ambrofiani, & Sancti Officij Reuifor ac Interpres.

Imprimatur.

Fr. Petrus Hyacinthus Donnellius Magifter Inquifitor Mediolani.

Io. Paulus Mazuchellus pro Illuftrifs. & Reuerendifs. D. D. Archiepifcopo.

Comes Maioragius pro Excellentifs. Senatu.


SE-



SEBAST. PISSINII

Lucensis Med. atq; Phil.

DE DIABETE DISSERTATIO.







IABETIS Naturam, eiusq; causas exploranti mihi, ac tàm veterum, quàm nouissimè scribentium sententias excutienti, non pauca se se mihi obuiam fecerunt, quæ mentem dubiam reddere, ac iudicium relinquere suspensum valuerunt; Adeò varia, atq; inconstantia de illius natura, deque causis, ab vtrisque tradita sunt. Rara quidem affectio, si Galeno, ac plerisque post illum scribentibus fides haberi debeat. Bis tantùm à se visam ille refert, oculatus testis, &

minima quæque artis per totius vitæ curriculum, diligenter rimari aſſuetus. At contrà non deſunt, qui haud infrequenter eandem ſe præ manibus habuiſſe, quin & curaſſe conſtanter affirmant, vt iam dubitare, iurè liceat, vel non raram eſſe Diabeticam affectionem, vel quàm Diabeticam eſſe nonnulli ſunt arbitrati, non eſſe Diabeticam. An verò affectionum ſimilitudo ſcribentium aliquos deceperit, an potiùs noua quæpiam Cœli conſtitutio, vel victus ratio id noſtris temporibus frequentius excitauerit, quod vtique rariùs ſuperioribus accidiſſe viſum eſt, is opportunè decernere poterit, qui, quæ mox ſubiungere animus eſt, accuratè prius perpendere voluerit. Eſt verò Diabetes crudioris vrinæ cita, copioſaq; excretio, non mutata prorſus abſumptæ potionis qualitate, cum ingenti, atque intoleranda ſiti, quæ aliàs diuturno tempore, aliàs breui, vt videbimus, ſic affectos tabefacere, atque iugulare ſolet; Verùm cùm crudioris vrinæ cita, copioſaque excretio interdum & ſanis, & ægrotantibus ſuperueniat, nulla ſiti, ne dùm inexhauſta accedente, ne ingentis mali ſubrepere initium quis ſuſpicetur, atque ob id, de ſe, ſuaque valetudine deſperare incipiat, non ab re exiſtimaui nonnullas affectiones in medium afferre, quæ cùm nullum de Diabetica Galeni affectione timorem Medicis incuterent, non tamen ſine metu patientes eſſe ſinebant. Ac plures quidem

copio-

copiosioris vrinæ historias apud Doctissimum, ac diligentissimum Schenchium lector inueniet, quæ longè aliam à descripta affectionem commostrant; quibus admirabile illud vrinæ profluuium addendum est, cuius Gabriel Fonseca primarius Vrbis Medicus mentionem facit apud Petrum Seruium de vnguento armario, *de nobili scilicet Monaco, vna tantùm die vltrà ducentum vrinæ libras absque vlla siti mingente*. Ex nostris aliquas habe, quæ cum Diabeticam minarentur, attamen citrà Diabetem, vel diù sub incude ægros tenuerunt, vel spontè tandem opportunisuè auxilijs euanuerunt.

Vir nobilis sexagenarius, quem calida, & humida totius corporis, & præsertim capitis intemperies fluxionibus obnoxium reddiderat, & cuius olim Genitrix, ac binæ sorores diuturna tabitudine thoracis vitio sublatæ fuerant, sub hyemem anni 1647. leui destillatione, à capite in thoracem correptus fuit. Paucis posteà diebus sputamina crassa, viscida, ac serositate cruenta respersa visa sunt; & febris accessit, inordinata illa quidem, & symptomatica, quæ intrà paucos dies exhibitis, adhibitisque remedijs ex toto abijt; Quàmuis ab eius generis excretis nunquàm ex toto thorax liber remanserit, aluus astricta erat, vrina aliquantùm vltrà consuetum profluxit, quod, & aliàs superioribus annis fecerat, sed paulatim ad naturalem modum, ac mensuram redijt. Sed eccè, sub veris finem

ſubſequentis anni, nocte quadam, quarta, vel quinta hora poſt aſſumptam cœnam, præcedente totius corporis laſſitudine, ac ſubobſcuro quodam animi mœrore, repentè, atq; affatim mingere cœpit, ac ſeptem circiter horarum ſpatio totidem tenuis, & aquoſæ vrinæ libras excreuit. Parcè interim æger bibebat, quippè nulla ſitis aderat; Caput tantùm incaluiſſe videbatur, & leuem quendam dolorem inſtante paroxiſmo circà temporales, & gulæ muſculos percipiebat; propter imum quoque ventrem, & penès laterum mollitudinem ſenſus quidam moleſtus exoriebatur, deſcendentis cum impetu vrinę ſpeciem ægrotanti repræſentans, & vaſa vrinæ excernendæ dicata quodammodò diſtendens. Manè ad naturalem conſuetumque modum redierunt vrinæ ſubflauæ, & ſubruffæ, modicè craſſæ, & cùm ſedimento laudabili, atque eâ quantitate, quæ ingeſto potui optimè reſpondebant. Quarta dein appetente die eâdem noctis hora, vrinæ iterùm redditæ ſunt aquoſæ, & cum priùs ſeptem librarum pondere emanaſſent, ad decem vſque ponderatæ fuerunt. Tum rurſus intra modum coercitæ, per tres integros dies inculpatè, vt ante efluxerunt; quibus exactis denuo copioſæ, & aquam prorſus referentes apparuerunt. Sex circiter menſium ſpatio, ex ijſdem penè interuallis, vrina profluxit aquea; ac deinceps non expectato tridui vel quatridui ſpatio, vltra Septuaginta vrinæ vncias

quotidie

quotidie mingere cępit, non tamen semper aquosæ; ac iam sextus agitur annus ex quo per rariora temporis interualla talem profundit vrinam; nulla tamen siti hanc affectionem comitante.

Adolescentulam me Romæ vidisse memini, habitu gracilem, adspectu rubicundam, haud vltra vigesimum ætatis annum progressam, quæ licet parùm biberet, parùmque comederet, ad viginti tamen vrinæ libras, absque vlla siti, vel febre, vel emaciatione quotidie profundebat. Post sexagesimam diem calida, humidaque cerebri intemperie emendata Bernardini Castellani industria, qui postea Gregorij XV. Pont. Max. valetudini præfuit, vrina paulatim imminui cępit, donec tandem ad naturalem quantitatem rediret.

Insignem quoque vrinæ copiam sex aut septem circiter ab hinc annis reddere consueuit Illustriss. vir Romanus Garzonius S. Iacobi Eques, non quidem per interualla, verùm singulis diebus, ad quinq; sex, & septem nonnunquam libras. Quinquagesimum sextum ætatis annum hic agit, calida humidaq; totius corporis temperatura præditus, habitu medio inter eusarcum & gracilem, quamquam nunc paululum ad hunc inclinante; tribus iunctus vxoribus copiosam prolem suscepit. Fuit huic mater haud absimili temperie donata. At genitor de quo iam iam mihi sermo habendus est, Diabete exquisito post primum senium sublatus

fuerat.

fuerat. Podagra ſed non valde moleſta, nec valde frequenti laborat, quo quidem tempore vrinæ quantitas imminui manifeſtè videtur. Per æſtatem quàmuis paulò liberalius bibat minus emingit; hac tamen abeunte non admodum ſiticuloſus remanet. Aluus quotidie ſemel ac bis excrementa reddit, non quidem fluida, ſed nec præaſſata vel nimium dura. Somnus, niſi quid mentem perturbare natum ex improuiſo vigilias afferat, illi facilis ac longus. Cęna moderato prandio minor, ab itinere longiuſculo iam delaſſari aſſueuit.

Non referam hîc ingentes quas vidi vrinæ profuſiones, morborum criſibus adſcribendas, tùm quas poſt diuturnas vrinæ retentiones obſeruaui; qualis ea fuit quæ ad vndecimam vſq; diem Dominico Motrono accidit, quo tempore pluribus eiectis vnà cum vrina calculis conualuit. Harum namq; cum longè diſtent à Galeni Diabete, quem examinandum ſuſcepi, alia prorſus ratio eſt. Medium quid inter criticam expulſionem, Diabeticumque affectum retinere viſa eſt excretio quædam vrinæ, quæ ab exquiſita pleuritide ſaneſcentem, integri menſis ſpatio Brigidam Martiniam Nobilem Matronam cum ingenti ardore ac ſiti vexauit; quamq; humido cum cibo, tum potu ac fotu, in optimum ſtatum Deo auxiliante perduxi. Hanc verò hiſtoriam eò libentius adduxi, quò Diabetis naturam cauſaſque ſcrutantes non parum

adiuua-

adiuuare posse existimaui, vt tractatus progressu patebit. Nunc enim sermonem ad eos conuertam, quos per veros Diabeticos affectus decessisse vidi.

Alexandrum Garzonium Iuris vtriusque peritissimum, æquè ac nobilissimum tota ciuitas per plures annos Diabeticum nouit. Ingentem vrinæ copiam mingebat, aquæ purissimæ instar, ac siti præmebatur inexplebili quamquam abundè biberet. At febre interim nulla detinebatur. Hic cum iam Diabeticus esset pro Lucensi Republica ad Matthiam Imperatorem Legatus in Germaniam missus, de poculorum magnitudine ac frequentia cum Germanis decertans, omnes bibendo vicit, eiusq; Nationis beneuolentiam ea de causa sibi mirum in modum conciliauit; cum tamen illi ignorarent non bibendi voluptate, sed naturæ iam vltra sanitatis limites abeuntis necessitate, grandiores illum calices exiccasse.

Vannella Moriconia prudentissima ac nobilissima mulier cum diù Diabete laborasset, ac dira bibendi cupidine vexata esset, deficientibus tandem viribus, ac nulla accedente febre, vel illa quidem imperceptibili è vita decessit.

Domitilla Arnulphinia nobilissima adolescentula quàmuis haud sine febre, eàque ingenti diem suum clauserit, per plures tamen antea menses vitæ munia, quæ per sanitatem exercere solita fuerat, etiam Diabetica obire non destitit.

Bene-

Benedictus Matraria Mercator industrius cum per plures annos iam Diabete infestaretur; (nam cum ingenti siti duodecim, & quindecim vrinæ libras intra viginti quatuor horarum spatium reddebat) phthisi vera, atque exquisita superueniente obijt.

Bernardinus Orsettus, quæ familia inter nobiles adscripta est, cùm per triennium & vltra Diabeti fuisset obnoxius, siti inexplebili, & vrinarum multitudine conflictatus, decumbere tandem coactus est, atque accedente febre acuta decimaquarta die inter viuos esse desijt.

Magdalena Mansi nobilissima Matrona Diabete correpta, per plures ante obitum menses vrinam copiosam, atque aquam omnino referentem emittebat, nulla interim febre detenta; sed siticulosa vltra modum erat, ac per duos tresuè dies ante obitum leuiter febricitare visa est. Quod & Petro Sandonninio viro Patritio contigit, qui cum aliòqui sanus videretur, ac nihilominus aqueam prorsus vrinam excerneret, deficientibus sensim viribus, animalibus præsertim, tridui tantum vel quatridui spatio decumbens absque vllo dolore extinctus est. Quam quidem sortem subire coacta est Angela Baronia nobilis mulier, quæ vix vnica decubuit diè, licèt vrinæ quantitas adeo prodigiosa esset, vt robustissimam quamq; debilitare ac perdere valeret. Prætereo non paucas mulieres quæ

cum

cum intolerandam sitim assidua potus ingurgitatione, ne vel tantillum moderari potuerint, copiosa superueniente mictione, si non in exquisitum Diabetem, at saltem in affectionem Diabeti proximam inciderunt, ac marcore torrido sublatæ fuerunt antequam ad exactam cruditatem vrinæ peruenissent. Sitis porrò inexplebilis abundantiorisq; mictionis causam, quæ Diabeticos comitatur *sexto de loc. aff.* abundè adeò atq; apposite, ex suis placitis Galenus prosequutus est, vt non parum, dum Horatij Augenij epistolas lectitarem, admiratus fuerim Augenium ipsum scripsisse in causa Diabetis inuestiganda Galenum, quem tantopere laudibus aliàs extollere consueuit, negligentem fuisse. Non defuerunt eo tempore quæ mihi pro Galeni defensione in mentem venerunt. Quæ quòd maximè ad Diabetis naturam, qualis vtiq; à Galeno describitur intelligendam conferre existimem, nunc in medium afferre minimè grauabor. Fortè enim affectus huius naturam, cuius origo vel palmaribus Medicis non bene perspecta vel explicata fuit; luculenta ac paulo solertiore indagine hîc explicari Studiosus Iuuenis haud indignabitur, atq; aliquid fortasse inueniet, quod morbi vel symptomatis infrequentioris naturam sedulò inuestiganti satisfaciet, ac præsertim vbi exquisitiore trutina ipsius Galeni placita fuerint examinata. Præstat verò Augenij verba adscribere nè

legentibus fucum facere velle videar, vel Augenio quicquam calumniosè imponere: *Negligentem fuisse Galenum* (hæc ipsa sunt Augenij verba ex epist. 21. Tomi 2.) *in causa Diabetis inuestiganda, ea manifestum faciunt, quæ sexto de loc. aff. c. 3. scribit. nam asserit causam esse imbecillitatem in renibus contractam facultatis retentricis atq; alteratricis. Verùm cum solet hoc contingere à quacunq; intemperie (nam actus propriæ virtutis impediri potest à quacunq; intemperie, vt frequenter scripsit maximè 3. aphorismorum), dum ita scribit, nihil omninò docere videtur, cum nondùm constet particularis causa imbecillitatis; admirorq; plurimùm cur ita indistinctè loquutus fuerit, cum idem author soleat eos deridere, qui dicunt causam læsæ cuiuspiam operationis esse imbecillitatem, ac profiteatur eos nihil docere.* Hæc sunt quæ Augenius contumeliosè in Galenum euomuit, quæ tamen Augenius ipse ex libro 2. epistolarum Victoris Trincauelij mutuatus est; qui totidem penè verbis eadem priùs, sed paulò modestius, legentibus obiecerat. Sed ab Augenio Galenus pluribus de causis iniuriâ accusatur. Primùm quia non erat is locus in quo de symptomatum morborumq; causis Galeno esset agendum; quod Augenium præterijsse non debuerat; non tantùm quoniam tractatio de locis affectis causarum tractationem non includit (pollicitus enim fuerat Galenus sub ipsius operis initium se dumtaxàt explicaturum, quomodo affectæ particulæ di-

gnosci

gnosci possent) sed quoniam hoc eodem sexto libro id apertè testatum voluit sub hac verborum serie. *Nunc autem sermo nobis est non de causis, quæ morbos efficiunt, sed de laborantibus locis qui & tactus & visus iudicium effugiunt; sed quoniam ad exactam illorum notitiam nonnunquam etiam aliquid de ipsis affectibus dicere coactus sum, idcircò causarum quoquè ipsos efficientium mentio facta est*. Æquum igitur fuerat Augenium priùs ad Galeni institutum respicere, ac deinde saniorem de eius viri diligentia ac solertia ferre sententiam. Deinde si his qui supra modum sitiunt, ac subinde bibunt, atq; exuberantèr quod biberunt à sua qualitate minimè mutatum reddunt, quæ est Diabetis natura, renes oblæsos esse probabili oratione Galenus deducit; profectò muneris sui oblitus esse non videtur, aut negligentiæ accusandus; sed valdè laudandus quòd locum in Diabete male affectum subtiliter indagauerit, atq; optimè assequutus fuerit. Imò quemadmodum haud infrequens fuit Galeno in rebus paulò difficilioribus addiscentes exercere, id etiam hoc loco obseruare voluit; atq; ex abundanti prolixiùs circa affectionis naturam eiusque causas digredi. Nam non solùm renes malè affectos esse statuit in Diabete, sed eosdem quoq; imbecillitate laborare ostendit; siquidem aliarum omnium, quæ ante renes positæ sunt, partium imbecillitatem ad efficiendum Diabetem non esse idoneam colligit.

Neq; imbecillitatis tantùm meminisse voluit, sed cuius nam facultatis imbecillitas esset, diligentissimus rerum inuestigator adiunxit; retentricem scilicèt ipsam debilem esse pronuncians. Quin affectum non simplicìter ex retentricis imbecillitate prodire animaduertens, vitiatam quoq; esse facultatem attractricem apposuit, atq; proprium munus expultricem coactam exercere; retentricem quidèm exemplo lienteriæ apposito oblæsam ostendens; attractricem verò caninæ vocatæ appetentiæ. Quid itàque reliquum fuerat nisi vt quilibet addiscentium, supposita renum imbecillitate, postea perquireret quænam esset eius imbecillitatis causa? Quod tamen à Galeno duplici de causa prætermissum fuit. Primùm quoniam in libris de sympt.causis prolixè admodum docuerat, per quas intemperies vnaquæq; naturalium facultatum in singulis partibus lędatur. Deinde verò etiam quoniam eiusmodi speculatio adeò facilis est, vt vel tyronibus ipsis aperta sit, ac præsertìm cum ipse idem Galenus in hac eâdem de loc. aff. lucubratione sæpiùs admonuerit imbecillitatem cuiuslibet intemperiei comitem esse, & propria cuiuslibet signa causam imbecillitatis ostendere. Quod libro etiam 5. exemplo docuit, dum iecinoris imbecillitatem modò ex calida intemperie, modò ex frigida prodire scripsit. Signa autem quibus vtraq; dignosceretur intemperies eò loci recensuit, quæ

tamen

tamen hic in pertractanda Diabetis natura volens omiſit. Neminem namq; iudicij adeo expertem, aut adeò parum in artis operibus exercitatum inueniri vnquam poſſe perſuaſum habuit, qui calliditatis effectus ipſis oculis intuens ex frigida intemperie affectum proficiſci arbitraretur, aut ex calida vbi excedentis frigiditatis apparerent indicia. Sed eſtò, prætermiſerit Galenus accuratam cauſæ Diabetem efficientis inueſtigationem, nonne quomodo à calumnia Galenum vindicemus ipſe Augenius oſtendit? Nam poſtquam Diabeti calliditatis indicia omnia Augenius adſcripſit, hæc ſubiunxit. *Hæc ſi vera ſunt, quis de cauſa ambigeret? quis arbitraretur fieri hæc poſſe à frigida intemperie?* At inquam ego, ſi non licet ambigere, ergo Galenus docuiſſet id quod nemo ignorat. Si igitur id quod nemo ignorat Galenus prætermiſit, nequaquam videtur negligentiæ accuſandus. Iam ſi quę de Diabete Augenius ſcripſit ad examen reuocare velimus, plura Galenum & ad rem magis facientia, quàm Augenium dixiſſe comperiemus. Nam cum in hoc præcipuè Galenus laborauerit vt oſtenderet locum in Diabete prauè affectum eſſe renes; ſic Augenius qui cauſam Diabetis exactius inueſtigare ſe velle pollicitus fuerat, qua demum affectione renes laborarent non ſupponere tantùm, ſed in primis diligentius perquirere debuerat; deinde cauſas à Galeno prætermiſſas vel indiſtinctè prolatas adiun-

adiungere. Verùm cùm Diabetem in medium afferat cui ſitis inexhauſta ſit comes, linguæ ariditas magna, calor in viſceribus vltra modum excedens, vigiliæ intenſæ, colliquatio totius corporis breui contingens, & facies qualis ſub prognoſtici initium ab Hippocrate deſcribitur, putauit ſe ſatis dixiſſe, ac ſubtiliter excogitaſſe affectionem ab intemperie calida & ſicca proficiſci; quod quidem ſatìs ſuperq; vel plebeio cuique notum eſſe poterat. At Galenus vlteriùs procedens, atque intimiùs proſpiciens, ad immediatas cauſas tandem peruênit, quas Augenius ipſe reprehendere non eſt auſus, ſed vt rectè atq; artificiosè inuentas ita comprobauit, vt nihil immutare vel addere præter ſolam caliditatem (quæ tamen non ſemper in Diabete adeſſe experientiâ conuincitur) ſua ſubtiliori, ac ſolertiori indagine potuerit. Illud tamen quod ſubiunxit *Nonnullis ſcilicèt febrem, eamq; effatu dignam adeſſe* ſilentio non eſt inuoluendum; mihi quidem nemo facilè perſuadebit, ſub ea ſignorum ſyndrome quam Augenius recenſuit febrem effatu dignam non adeſſe. Quòd ſi citra febrem, non tamen ſine ingenti calore talem in omni Diabete ſyndromen apparere voluit; at Diabetem opponam qui prorſus abſquè vlla febre, vel excedentis caliditatis ſuſpicione ægrotantes adoritur. Ergo qui ſensìm, ſolo ſitis importunæ ſenſu, vrinæ multitudine, fractiſq; viribus inter

viuos

viuos esse desierunt, Diabete non laborarunt? In his præterea cum facies vt in alijs Diabeticis ad Hippocraticam vergere visa sit, cur potiùs caliditatis excedentis opera id accidisse, quàm ob immoderatam euacuationem contigisse dicemus? certè si Augenius diuturnas Diabeticorum affectiones vidisset (vidit autem quoniam licèt loco citato Diabeticam affectionem, eamq; acutam afferat; de diuturna tamen alibi mensionem facit, vt *epist.* 3. *libri* 12. *Tomi* 1. atq; indistinctè, quòd vitij genus Galeno obijcit, de vtraque sermonem habet) neutiquam in admirationem deuenisset, & de Galeni negligentia conquestus fuisset, quòd inter Diabetis causas non etiam ingentis renum caliditatis meminisset. Sed quis præterea audebit affirmare per antedictam syndromen renum potiùs culpâ, quàm aliarum partium vitio Diabetem oriri? Inde quidem ab ingenti vel cum ingenti calore Diabetem fieri (de acuta loquor) Augenio consequens erat deducere; at verò non minus aliarum partium vitio, quàm renum. Etenim vbi Diabeti febris iungitur, adhuc quærere licebat an tunc alia quædam Diabetis species, ab ea quæ absq; febre fit habenda esset; an potius nouæ cuidam affectioni Diabetes ipse iungeretur. Galenus quidèm qui in describendis hepaticis adeò diligens fuit, vt etiam meminerit febris quæ ob exilitatem Medicorum plurimis sæpè latuit, nequaquam omisisset in exponenda

ponenda Diabetis natura febrem, vel saltem excedentem caliditatem, si eo pacto Diabetis propria hæc essent; quo sitis ingens, vrinæ frequens atq; copiosa excretio, eiusq; integra cruditas; hoc enim iam non esset circa Diabetis causas, sed circa proprias differentias quibus affectus natura constituitur, negligentem esse. Quare tutius atq; ex arte visum Galeno potius est, Diabetis causas in ipsorum renum deprauatas functiones reijcere, quàm ab ipsa caliditate, quæ sæpe Diabeticis negotium facere minimè videtur, Diabetis indicia causasque depromere; nam etsi caliditas ingens statueretur pro Diabetis causa, ea tamen remotior esset quàm facultatum deprauatio inde oriunda. Vnde licèt inter causas Diabetis non enumerauerit insignem caliditatem, non ob id tanti criminis reus habendus erat, vt Augenius iure dixisse potuerit, se nihil habere quod pro Galeni defensione in medium afferret: attamen veluti miseratione motus nonnulla pro illius defensione excogitauit. Galenum nempè semel Diabetem vidisse, ideòq; si paulò negligentius eius symptomatis causam excusserit, excusandum esse; atqui iniquum omnino videtur, existimare Galenum adeò rudem, & naturalium rerum adeò imperitum extitisse, qui affectus bis non semel à se visi rationem saltem probabilem haud inuenire potuerit. Excusatio itaque quàm pro Galeno Augenius excogitauit ea est, qua

se

se defendi Galenus nolit, quamquam nullo pacto admittat. Nam tantùm abest vt negligentiâ Diabetis causas examinauerit, vtpotè affectionis rarò euenientis ac semel à se visæ, quin potius eius naturam, causasq; immediatas tradiderit, ac locum in Diabete malè affectum, quod illius præcipuum fuerat institutum, rectè ac intuentium penè oculis inspiciendum monstrauerit. Sed Augenius cum φιλαυτίᾳ laboraret, non minus in Galenum quàm in Aretæum iniurius fuit; hunc quidem mendacij, illum negligentiæ accusans. Quare si quis paulò asperius in illum distrinxerit calamum, eò minùs audaciæ accusandus erit, quò ille in alios dicere nonnunquam paratior esse consueuit. Verùm & hoc quidem Augenio condonandum esse non nemo consentiet, quoniam aliàs Galeni doctrinæ maximè addictus fuit, eamq; doctissimis elucubrationibus illustrare conatus est.

Sed iam satìs contra Augenium pro Galeno dimicatum est. Nunc vt Diabetis naturam qualis ab ipso Galeno describitur, & in quo ab Aretæi Diabete differat, exactius teneamus, nonnulla priùs inspicere oportet, quæ non parum ad illius notitiam facere videntur. Ne verò cogar totam de Diabete narrationem adscribere quam *6. de loc. aff.* habuit, ea tantùm referre placet quæ sub tertij cap. calcem his verbis concludit. *Porrò Diabetes proprius renum affectus est, qui caninæ in ore ventriculi*


cupiditati proportione respondet, accedente præterea retentricis facultatis imbecillitate. Nam si citra vehementem cupiditatem ipsum fieri diceremus, in primis nihil penè vrinæ, quod consideratione dignum esset, ad renes peruenire notaretur: si verò citra retentricis imbecillitatem, non tanta celeritate sequeretur vrinæ profluuium. Quæ hîc breuiter dicuntur, fusa priùs oratione probauerat, vt quiuis ex eadem narratione percipere potest; ex qua illud primum disquirendum videtur, quid Galenus per imbecillitatem retentricis facultatis intelligat. Est verò imbecillitas cuiusuis facultatis seù partium, quæ illi subseruiunt, robur effractum, vt actionem quam priùs edere validam & secundum naturæ leges consueuerant, ignauiùs atque imperfectiùs præstare cogantur. Hæc non tantùm partibus similaribus, verùm etiam instrumentalibus accidit, modò has modò illas oblædens, frequentius autem vtrisque simul communis; vt similarium propria ab immutato illarum temperamento proficiscitur. Verùm mutationis vel alterationis modus imbecillitatis conditionem decernit; non enim semper intemperata pars, cum intemperie laborare incipit, simpliciter & absolutè imbecilla dicenda est. Quippe ad inducendam huius generis imbecillitatem non leuis aut ὀλιγοχρόνια, idest breuis temporis intemperies requiritur; nisi ex violenta vel venenata causa pendeat, per quam subitò non solum partium temperamentum destruitur,

struitur, & in alienationem desinit, sed & ipsa partium substantia corrumpitur; tunc enim natura suo calore & spiritu destituta languet, & iam aliqua ex facultatibus expugnata est. Quæ verò non simpliciter atq; absolutè imbecillitas est, ea comparatione tantum ad materiam intelligitur. Notior hæc atq; frequentior, ac diutius resistere consueuit, & materiam grauantem non rarò transmissione vel totam confertim, vel per vices expellit. duplicis imbecillitatis renum eodem *6. de loc. aff.* Galenus meminit. Prioris quidem antequam ad tractationem Diabetis accedat; quando scilicet sanguineam serositatem ob renum imbecillitatem vrinæ misceri scribit; cuius causam intemperiem esse statuit, vel nimiam dilatationem osculorum per quæ è vena caua serositas in renes excolatur. Posterioris quæ ad materiam grauantem refertur, dum de Diabete pertractat. Iam si quæras quid per imbecillitatem retentricis facultatis renum in Diabete Galenus intelligat, respondebo non illam renes pati quæ ex intemperie prouenit, sed quæ ad materiam comparatur; clariùs dicam, nullam aliam imbecillitatem retentricis facultatis eò loci attendendam esse, quàm quæ immoderati ponderis ratione proficiscitur. Quod si quis Galeni verba haud oscitanter ponderet, non tantùm hanc innuere sententiam, sed eandem apertè pronunciare perspiciet. Renes namque vrinam continere non

posse dum scribit, eò quia ab attractionis impetu grauantur, apertè demonstrat imbecillitatem de qua loquitur non ab vlla intemperie prodire, sed solius ponderis ratione id contingere; ac ne dubitationi locus superesset Seleucidas aues in exemplum adduxit, quæ cum locustis vescantur, easq; statim per aluum excernant (non vomitu reijciant vt Trincauellius putauit) nullo remanente in illis retentricis facultatis impedimento, ex obiecto tantùm viribus impari prouenire hanc retentricis imbecillitatem manifestum faciunt. Nec obstant quæ idem Galenus 1. *de crisibus cap.* 12. scripsit, dum per transennam comparando Diabetem lienteriæ paruifacere videtur imbecillitatem retentricis facultatis respectu ponderis, eò quia non videatur adæquata causa Diabetis. Galeni igitur verba, vt omnis de medio difficultas tollatur, diligenter expendenda sunt, quæ sic habent. *Quæ verò* (de vrina loquitur) *ad summum incocta est, has omnes, malitia, vincit, est autem aquosa exquisitè, neq; iam concoqui incipiens qualis turbulenta, neq; in spe vt coqui debeat, sed veluti desperatæ coctionis accidens; quæ talis est venosi generis passio existit, qualis est in ventriculo extrema ipsa cruditas, cum verò statim transcurrat vocatur ab aliquibus Diabetes, hæc enim passio talis est qualis circa aluum læuitas intestinorum; extinctio, vt diceret quispiam, virtutis retentricis atq; alteratricis.* Quisquis igitur in hunc Galeni locum inciderit, absolutam atq;

extre-

extremam retentricis facultatis imbecillitatem in Diabete reperiri fortasse suspicabitur, mortua nempè vel quasi mortua ipsa facultate. Verùm cum exempla altero quidem pede currere videantur, altero verò sæpe claudicare deprehendantur, si quis varios lienteriæ status, variasque causas, ac diuersa morbi tempora ad examen reuocauerit, comparatio hæc inter Diabetem ac lienteriam quam vim habeat, non difficulter assequetur; non enim omnis lienteria desperata coctione fit, nec mortua vel quasi mortua retentrice facultate; quandoquidem nonnunquam, & ipsi lienterici sanitati restitui videntur, cum verò aliquando restitui videantur, non erit de necessitate in lienteria extremam imbecillitatem reperiri & per consequens non aderit in Diabete; sed tantum respectiua quæ ponderis ratione proficiscitur; apposite Aetius, qui non absulse Diabetem lienteriæ comparat, sed quibusdam lienterijs, atq; ijs quæ caninæ vocatæ appetentiæ comites sunt, vt Galenus voluit. nam quæ sine canina appetentia fiunt, fortè ob retentricem ab aliqua intemperie imbecillam non solius ponderis ratione fiunt. Quod idem Galenus implicitè significasse videtur comm. 1. in 6. aphorismorum sectionem cum dixit. *Si veteres sciuissent veram lienteriæ causam, vice eius quam attulerunt, totius ventriculi atq; intestinorum imbecillitatem in causa posuissent, ob quam hæ partes corporis grauatæ à cibis assumptis*



sumptis ipsos confertim excernunt, grauari itaq; à cibis non ob aliam rationem quàm ob illorum pondus virtuti impar contingit, quod explicitè confirmat *6. de loc. aff cap.* 1. sub finem his verbis. *Sunt quoq; alia accidentia quæ quidem haud absurdè & intestinis & ventriculo simul affectis euenire creduntur, vt quas lienterias & cæliacas dispositiones nominant, cum videlicet materiæ nequaquam mordaces sunt*, cum itaq; retentrix vis aliquando in lienteria ad excernendum moueatur à materia non mordaci, superest vt ob eiusdem pondus moueatur. Hæ namque communes & consuetæ sunt læsæ virtutis retentricis atq; expultricis causæ. Sed præter hæc cum idem Galenus ex Hipp. mente in comm. prædicti aphorismi discrimen admittat inter longam idest diuturnam lienteriam, & breuem atq; acutam, quomodo non indistinctè loquutus dici poterit 1. *de crisibus*, dum dixit in lienteria adesse vtriusq; virtutis, alteratricis nempè atq; retentricis extinctionem, vel quasi extinctionem? præsertim cum non omnes lienterici intereant, sed, vt dictum est, nonnunquam sanari visi sint? sicut igitur in lienteria duplex status inuenitur, sic & in Diabete duplicem reperiri, conueniens est arbitrari, quod non nemo percipiet qui vtriusq; affectionis tempora ad inuicem comparare voluerit; in affectionis enim principio non alia aderit imbecillitas quàm quæ ex pondere desumitur; at perfecto iam morbo, atq; ad perniciem tendente,



dente, absoluta aderit imbecillitas, & vt quispiam diceret, virtutum ipsarum extinctio. Iure igitur *6. de loc. aff.* vbi ex professo atq; instituto de Diabete pertractans, retentricem ratione ponderis læsam esse docuit.

Ex ijs verò quæ superiùs dicta sunt de imbecillitate quæ ab intemperie ortum trahit, duo colligere possumus. Alterum quidem Galeni Diabetem non oriri, vt nonnulli putarunt, ex vasorum dilatatione; cum per imbecillitatem quæ ab intemperie prouenit ora vasorum ita pateſiant, vt manifestè sanguis in renes vnà cum serositate præter naturam influat, nec tamen inde Diabetis origo pendeat: ex quo deduci potest ad efficiendum Diabetem vasorum laxitatem inefficacem esse; quod pluribus præterea rationibus confirmatur. Etenim cum Diabetes Galeni de quo loquimur tractione fiat, & vasorum laxitas tam illorum quæ propria renum sunt, quàm quæ ante renes posita sunt, nec immediatè, nec mediatè ad tractionem quicquam conferat, profectò neq; ad Diabetem conferre poterit: ac quod vasorum laxitas sit causa immediata tractionis renum neq; dici, neq; excogitari potest; laxitatis enim proprium est humorem non retinere, sed sinere iugiter effluere. Mediata quoq; esse nequit, siue laxitas supponatur in renibus, siue in vasis quæ renes antecedunt; nam quæ in renibus sunt cum non rarò ex accidenti laxitatem acqui-

rant,

rant, vt fit cum eiecto renum calculo tota quæ per plures dies retenta erat serositas iugiter & cum impetu effunditur, id sine Diabetis periculo fieri experientia docet; quod si quis adhuc instet, atque oborta laxitate vasorum quæ in renibus sunt effluere ac deficere ipsorum renum alimentum putet, ideò noui alimenti cupiditate renes ad attrahendum incitari, is nosse debet alimentum ipsum vel orto iam Diabete, nedum ante Diabetis generationem in renibus detineri, solamq; serositatem absq; sanguinea portione in qua alimentum resides in vesicam fluere vel demitti: nec ad ipsius alimenti vitiatam substantiam recurrendum est, vtpotè quæ non satisfaciat renum desiderio atq; indigentiæ, & propterea renes ipsi amplius trahere cogantur; nam cum portio sanguinea non refluat, nec à renibus expellatur, atq; interim renes nutriri videantur, non poterit accusari alimenti conditio vt insufficiens, & ex consequenti vt tractionis causa; præterquamquòd si supponatur laxitas in renum vasis, tantum aberit vt renes valentius trahant, quin potius solito minus trahant, cum de natura laxitatis sit tractionem impedire: etenim cum vis tractrix tunc valenter munere suo fungatur quando fibrarum rectitudo, quibus ad attrahendum vtitur, inculpata permanet, si per laxitatem debilitentur ac quasi eneruentur fibræ, inualidius proprium munus exercebunt; vnde qui sic argumen-

tetur

tetur facilè ad absurdum deducetur vt confiteri cogatur eadem vasa trahere & non trahere. Si verò supponatur laxitas in vasis ante renes positis, atq; hinc laxitate mediante Diabetem fieri affirmetur, tunc Galeni rationes alioquin valdè vrgentes, quibus ille sufficienter probat aliarum à renibus partium imbecillitatem non posse esse adęquatam Diabetis causam, corruerent prorsus, ac nullius momenti essent. Sed ad laxitatem propiùs. Bibacium plurimos quos ad perdenda vina natos esse Plinius per iocum scripsit, in vasorum per quæ serositas in renes fertur laxitatem incurrere certum est, vt non multò post quàm biberint, liberalius atq; confestim mingere soliti sint, at non ob id in Diabetem incidere. Laxitas itaque horum vasorum vt potest esse causa facilioris transmissionis ac transitus, & frequentioris mictionis vt Platero visum est, non tamen erit facilioris attractionis, & sic nullo modo ad inducendum Diabetem immediatè vel mediatè conferre poterit, cum ad attractionem in qua Galeni Diabetes potissimum consistit quicquam conferre nequeat; ac tandem cum Galeni Diabetes ab humorum salsedine fiat, vt inferiùs demonstrabo, & salsedinis proprium sit cogere atq; constringere, nulla de vasorum laxitate suspicio adesse poterit in Diabete. Contrà vasorum angustiam ad attractionem non parum conferre exemplo ex Mechanicis desumpto quisq; ex-

periri poterit. Nam ſi potum ex vaſe aliquo per anguſtam fiſtulam abſorbere aggrediatur facilius ſic, quàm per patenſiorem ac laxiorem exhauriet. Quòd ſi in Diabetico ad interitum tendente vberior vrinæ prouentus appareat, ac tunc ab immoderata ac iugi vrinæ fluxione vaſa fieri vel facta eſſe laxiora quis opponat, reſpondebo non tractione tantum eo tempore vrinæ profluuium augeri, ſed intereunte partium omnium retentrice totam quæ ſupererat ſeroſitatem non alia ratione prodire quàm eâ, qua vel in mortuis aliquando excretiones fiunt quæ iam morientibus fieri inceperant. Alterum verò quòd ex imbecillitatis diſtinctione deducitur eſt, Diabetem reſpectu læſionis facultatis retentricis non eſſe affectionem penitus incurabilem: nam ſi tractionis violentia compeſcatur, ſanatio in Diabete deſperanda non erit. Verùm hoc ad huius affectionis prognoſticum pertinet, de quo ſuo loco dicendum.

Hoc autem de Diabete incipiente dictum ſit; nam vbi vltra principium morbus progreſſus eſt, & ad ſummum incrementum peruenit, ita vt vrina omnino cruda ſit, & vt ſcribitur *primo de criſibus* veluti deſperatæ coctionis, ac ſtatim à potu tranſcurrat, tunc dubio procul vtriuſq; virtutis retentricis nempè atq; alteratricis extinctio ſignificatur; non enim vna tantum facultas, ſi morbida conſtitutio perduret, ſed omnes tandem ſimul afficiuntur,

quod

quod eius loci interpres Gulielmus Copus ad Galeni mentem optime assequutus est, qui virium imbecillitatem traduxit, licèt in singulari τῶν δυνάμεων ἀτονίαν græcus Galeni codex habeat. Quod itaque spectat ad noxam facultatis retentricis in Diabete, affectio ipsa absque caliditatis vel frigiditatis ope fieri videtur, vt ex causa illius imbecillitatis manifestè apparet, atque ex adductis à principio exemplis confirmari potest.

Sed antequam vlterius progrediar, cum facultas retentrix, vt ostensum est, tractricis culpâ imbecilla reddatur, eò quia plus hæc trahit quàm retentrix retinere queat, videndum est, an retentrix aliquo modo læsa occasionem Diabeti præbere valeat antequam vis tractrix perperam operari incipiat. Dubitandi ansam aliquis fortè ex Galeno arripiet, qui 1. *de symp. causis cap.* 7. sic scriptum reliquit. *Atq; vna quidem caninæ appetentiæ causa est vitiosus is succus qui acidus est; altera amplior per totum corpus vacuatio, quæ vel caloris robore, vel retentricis facultatis imbecillitate sit illata.* Ex quibus inferri posse videtur ex eo quia retentrix imbecilla sit causa vacuationis, & vacuatio immoderatæ appetentiæ, & per consequens immoderatæ attractionis, idcirco oriri posse Diabeticam affectionem ab ipsius facultatis retentricis imbecillitate. Licet enim Galenus ibidem de canina appetentia quæ fit in ore ventriculi verba ex instituto faciat, ὁμώνυμος tamen

men, quod expreſsè fatetur, & caninæ renum appetentiæ conuenire ſtatuit. Verùm quomodo dubitationi reſpondendum ſit Galenus ipſe eodem capite docet. Non enim ſufficit imbecillitas retentricis renum facultatis ad exhauriendam totius corporis ſeroſitatem; ſed neceſſarium eſt, ſi ad retentricis vitium copioſa & inſignis vacuatio ſuccedere debeat, vt non vnius tantum partis vis retentrix labefactetur, ſed affectio adſit quę iam toti corpori cõmunis ſit; de qua quidem affectione eò loci loquutũ eſſe Galenũ, non de particulari retentricis vitio vnius tantùm partis, apertè conſtat. Sed ne quid dubitandum ſuperſit circa retentricis facultatis imbecillitatem, & hoc examinandum ſupereſt, cur ſcilicet per imbecillitatem renum abſque Diabete tenuis ſanguinis ſanies nonnunquam mingatur, nulla verò talis per imbecillitatem retentricis in Diabete ſuccedat excretio. Ferri autem ſanguinis quamquam tenuis portionem vnà cùm ſeroſitate in renes certùm eſt; qui mox è vaſorum emulgentium propaginibus in renum ſubſtantiam roris in morem ſpargitur ad eorum alimoniam; cumq; validiſſima ſit in Diabete vis tractrix, atq; retentrix imbecilla, quo quidem tempore, & ipſam quoq; expultricem negotium facere probabile eſt, ecquid temporis ſupereſſe poterit, in quo natura ſeroſitatem ſanguine imbutam ita à ſanguine ſegreget, vt aquoſa prorſus, tenuiſſima, ac ſanguine

penitus

penitus expoliata prodeat? quod nec sub affectionis finem quando iam cuiusuis generis facultates extinguuntur, fieri videtur. Respondendum est Diabeticas affectiones nonnunquam diuturnas esse, aliquando autem acutissimas ac quàm citò interficientes, vt mox dicetur. Per diuturnas non aboleri ex toto vim renum, qua quod sibi familiare est vsque in vitæ finem ad se alliciant, atq; à serositate segregent, intereunte interim homine præ virium imbecillitate priùs quàm vis illa pereat. Per acutissimas fortè solam sine sanguine serositatem trahi, nihil enim obstat ex eo quia tractio ob familiaritatem fiat, ideo etiam in perniciosissimo Diabete sanguineam portionem vnà cum serositate trahi debere; nam præterquamquod & ipsa serositas renibus familiaris est, vbi per morbos, naturæ lex atq; ordo peruertuntur, nihil non ex accidenti ac præter naturam succedere solet, non enim de more tunc renes attrahunt vt tantum attracto fruantur, sed vrgentiori fine coacti etiam vt attractum solito celerius expellant. Sed vlterius eundum est, & supponendum primarium naturæ institutum esse serositatem, vbi sanguinis distributioni inseruiuit, extra corpus pellere; non poterat verò pellere, nisi à renibus traheretur, ergo vt traheretur familiaris & amica illis esse debuerat. Sanguineam verò portionem vnà cum serositate in renes ferri secundariò accidit; quia scilicet si debuerant adesse renes

ad hauriendam serositatem, debebant quoque nutriri; nec poterant sine sanguine. Serositatem verò vt serositas est, esse renibus amicam atq; familiarem quamuis naturæ ordinem intuentibus notum satis videri possit, experientiâ quotidiana comprobatur; nam ex eorum vsu quæ serositatem in corpore adaugent, si renes validi sint, vrina statim copiosior prodit; vt hinc elicias serositatem vt serositas est, etiam sanguine spoliatam renes allicere; quod si alliciunt, consequens est id familiaritatis atq; amicitiæ ope fieri; id apertè per Diabetem contingere Galenus cap. de Diabete sub his verbis affirmat (*ita enim renibus quoq; accidit serosæ humiditatis cupiditas vnà cum virium imbecillitate, vnde & humiditatem affatim trahere coguntur*. Trahere verò per acutissimum Diabetem serositatem absq; sanguinea portione ex eo constat, quia si tunc traheretur à renibus serositas vnà cum sanguine, cum sanorum vrina ex. gr. 24. horarum spatio ad duas circiter libras excernatur, & cum hac quantitate ea sanguinis portio in renes feratur, quæ alimentum renibus quantitate adæquatum afferat, quid sequeretur vbi intra illud temporis spatium viginti libræ effunduntur? necessarium quippe esset vel portionem sanguinis renum nutritioni imparem refluere, vel totam renibus assimilari, vel denique cum vrina excerni; quę omnia nec fieri possunt, nec fieri videntur. Satius itaq; fuerit existimare acu-

tissimo

tissimo in Diabete serositatem absq; portione sanguinea trahi; atq; eo tempore vel nullam esse renum ex attracto fruitionem, vel eam æquiuocam esse; quatenus renes serositatis præsentia voluptatem aliquam absq; nutritione capiunt. Nec minimum referre puto quod renes seroso sanguine alantur; qui si non repente, at non multò post in eodem affectu serositate spoliatur, ac proinde tractrici contumax fit, vtpotè crassus & ater, quemadmodum in hydrope ascite apparere consueuit, tota aliò confluente serositate: nec negotium facit in succenturiatis quos vocant renibus, demandata in renes subtiliori portione, atrum reperiri sanguinem; quoniam ibi longè priùs coaceruari, ac diutius retineri potuit, antequam Diabetes acutissimus oriretur, vel antequam ad summum perueniret. Aliam Galenus ipse difficultatem proposuit, quæ suismet placitis aduersari prima facie videbatur. Quomodo scilicet cum renum facultate imbecilla, vis tamen adeò valida esse queat, vt iugi validæq; attractioni sufficiat. Vt difficultati satisfaciat, Diabetem duplici præter naturam affectione constare, & ratione, & exemplo ostendere conatur. Ratione quidem quoniam nihil obstat quominus aliqua corporis pars, cui trahendi vis competit, adeò deprauetur vt solito immoderatius trahat, & per consequens ab attractione grauata id quod attractum fuit, retinere nequeat: exemplo

autem,

autem, dum lienteriæ caninam vocatam appetentiam non rarò comitem esse pronunciat.

Præter hæc quæ Galenus adduxit pro huius sententiæ confirmatione, non deerant quæ eandem confirmare poterant. In primis imbecillitatem facultatis retentricis renum non adesse in Diabete propter eorundem intemperiem, sed per accidens, & quatenus organi propria est; vnde seruato temperamento renes non erunt ita imbecilli, vt aliarum facultatum ministerio non sufficiant. Verùm data etiam cuiusuis generis imbecillitate, nouum non est naturam violenter agitatam, atq; coactam ad violentos motus insurgere. Sic nonnunquam in proximè morituris ad violentos frequentioresq; motus cor impellitur, quo quidem tempore cor ipsum ad summam deuenisse imbecillitatem certum est. Quod & interdum facultatis animalis actio ostendit, valentiores motus edere coacta, qui, vel viribus imbecillis, roboris speciem exhibere videntur. Quod tamen exemplum à Galeno allatum attinet, nõnulla sunt quę vim facere videntur animo, nè facilè exemplo acquiescat. Demus Galeno quem Paulus & Aetius sequuti sunt, lienteriam non rarò caninæ appetentiæ copulari, non tamen inde indubitanter constat, ab vnius eiusdemq; partis vitio vtriusq; affectionis causas enasci, atq; vtramque in vna & eadem sede collocari debere. Nisi enim concurrant & praui humores in ore ventriculi, qui

alioquin

alioquin absq; lienteria in ventriculo sæpe redundare solent, & superficies intestinorum leuis, eiusmodi affectio ex vtroq; accidente complicata nequaquam in conspectum se dabit. Sicut igitur lienteria & canina appetentia propriè accepta, & loco, & causa distant; ita par est asserere etiam vbi secundum analogiam similis affectio oritur, diuersarum partium affectiones ad earum generationem concurrere. Quid hac in re ego sentiam paucis prius suppositis nunc aperiam.

Suppono primum cum Galeno cęterisq; Medicis omnibus ad eas partes cuiusuis facultatis læsionem pertinere, à quibus per sanitatem functio illarum inculpata prodibat. Quod quidem nulla vlterius probatione indigere videtur, quando id vt dictum est, Medicorum omnium consensu manifestum sit. Suppono prætereà nullas esse partes in humano corpore episodicas; sed siue actiones, siue vsus illarum attentè consideres, mira arte excogitatas, fabrefactas, atq; appositas esse, pluribusq; vel functionibus, vel vsibus inseruientes fateri necesse habeas; vt mirari subeat Erasistrati qui renum parenchymatis nullam esse actionem nullumq; vsum, Galeno referente, credidit, vnde hanc viscerum affusionem pro re parua leuiq; habuisse visus est. Galenus contra vbicumq; natura parenchymata molita est, ijsdem actionem deberi pro certo habuit. Quod licet maiori ex parte ra-

tioni consentaneum sit, inter partes tamen ex quibus totum componitur instrumentum, si quis acrius inspiciat, vnam semper peculiarem esse intelliget cui principaliter actio competit; reliquis vsum potius aliquem, commodumuè, vel secundariam quampiam actionem præstantibus. Sic oculus videre dicitur, cum tamen crystallinus humor, vel sicut eruditissimus, & oculatissimus Pemplus voluit, interior tunica retiformis, sit principalis visionis sedes, & cui primum videndi facultas debetur.

His sic se habentibus quæ apud neminem controuersa esse puto, serositatem trahere prius ac principaliter vasis emulgentibus quàm renibus conuenire statuo; quæ cum per sanitatem trahendę serositati dicata sint, profectò vbi nimium, affatim, perperam, ac præter naturæ modum serositas trahitur, læsionem prius contraxisse valdè probabile est. Etenim cum ante renes vasa hæc efformata sint, ijsq; serositatem trahendi munus à natura vel àb ipso ortu iniunctum sit, quin prius illis serositatem trahere quàm renibus conueniat, dubitandum non est, ac priùs quidem efformari ex ijs est quæ sensu, ac Medicorum primæ classis consensu deprehenduntur. Spermaticas enim partes ante carnosas efformari omnibus in confesso est; idq; apertè Galenus 2. *de semine*, & alibi *de vsu part.* affirmat; vt hinc haud prorsus absq; ratione conijcias renes

non

non vti ad attractionem vasis emulgentibus tanquam brachijs, sed ipsam trahendi vim ab emulgentibus vasis renes esse sortitos. Quod si quis obijciat partes omnes, licet id sensui minimè pateat, eodem tempore efformari vel designari, & frustra assignari vasis emulgentibus vim trahendi, antequam renes efformati sint qui quod trahendum erat exciperent; attamen trahendi potestatem prius in ipsis vasis emulgentibus implantatam fuisse probabile est; non autem sic probabile est ante constitui renum parenchyma, quàm vnde illud alimentum traheret, natura prouiderit. Quòd si rationem quæ à prioritate temporis desumitur probabilitatem haud excedere aliquis obtrudat, aliam affero, quæ demonstrationem sapere omnino videtur. Tractio omnis in animantibus quæ vacui ratione non fiat, per proprias cuiusq; partis fibras fieri debet; at verò renum parenchymati nullæ propriæ sunt fibræ; quare renum parenchymati trahere non competit: nullas autem renum parenchymati proprias inesse fibras dissectio ipsa manifestum facit; cum solæ vasorum emulgentium fibræ earum quibus renum parenchyma caret, vicem suppleant. Cùm igitur non aliæ in renibus fibræ reperiantur quàm quæ ab emulgentibus vasis suppeditantur, & nihilominus renes manifestè trahere videantur, sequitur inde tractionem vasis emulgentibus primò ac principaliter deberi; cum enim ne-

mo dare queat quod non habet, trahendi vim prius emulgentibus conuenire quàm renum parenchymati ex necessitate deducitur. Quod non tantum rebus secundum naturam se habentibus patet, sed etiam per illius errata confirmatur: refert enim Schenchius ex Iacobo Carpo aliquando visam fuisse arteriam emulgentem non ingredi renem, sed pręterito rene in vreterem implantari; ex quo manifestum fit ad ipsa emulgentia vasa serositatem trahendi officium pertinere, & per consequens renibus, quatenus ab emulgentibus vim recipiunt, non verò parenchymati conuenire.

Sed quid vlterius rationes congero ex quibus vim serositatis tractricem ante renum functionem ad emulgentia vasa pertinere colligamus, cùm ne hîc quidem sistere liceat? ac mihi quidem necessarium videtur, non tantùm tractionis officium emulgentibus vasis in ipsorum exortu deberi, vbi maiorem trahendi vim respectu aliarum venarum inditam esse Gaspar Bauhinus admonet, sed & venæ cauæ atq; arteriæ magnæ conuenire antequam in hos emulgentes ramos distribuantur; nam cum non sola transmissione in hæc vasa serositatem coaceruari probabile sit, ac multò minus id ratione vacui fieri, reliquum est non tantùm vasa emulgentia trahendi vim sortita esse, sed & illa quoque ex quibus hæc deriuantur, vt hinc tandem prauè affectam sedem in Diabete, si Diabetes tractione constat,

stat, e longinquo petendum esse rationi consentaneum sit. Quare si ad vrinæ celerem excretionem atq; exuberantiam te conuertas, iure cum Galeno dixeris Diabetem proprium esse retentricis renum vitium; at verò tractricis lęsionem fateberis ad partes ante renes positas maxima ex parte referendam esse. imò sic euitabimus difficultatem quam ipse Galenus in medium attulit, & pro qua tollenda duplicis affectionis in renibus, lienteriæ nempe & caninæ appetentiæ exemplo vti coactus fuit; etenim renum retentrix pondere grauata affluentem serositatem iugiter per Diabeticam affectionem effundit, quam aliunde emulgentia vasa immoderatè traxerunt. Quòd si quis adhuc insistat, atque ex Galeni placitis in vna & eadem parte retentricis atq; attractricis deprauatę causas contineri contendat, non moror; dum partis appellatione integrum accipi velit instrumentum, renes puta, quatenus ex parenchymate, vasorumq; emulgentium propaginibus constant. nam cum serositas antequam in vreteres excoletur per ipsam parenchymatis substantiam feratur, ad eandem retentricis vitium, si læsa sit ea facultas, pertinere manifestum est; vasis interim emulgentibus attractioni inseruientibus. Vasorum itaq; emulgentium vi cum renes ad trahendam serositatem vtantur, quæ est præcipua illorum ac subinde renum actio, & de qua iam satis dictum est, superest vt ob sermonis

affini-

affinitatem & quatenus ad tractationem de Diabete conferre potest, nonnihil de renum vsu dicamus; qui quidem non vnus sed multiplex esse videtur.

Primarius igitur renum vsus est, si Aristotelis authoritati fides habenda sit, ad continendas & stabiliendas venas; glandularum scilicet more, cum quibus, vel ipso Hipp. teste, similitudinem quandam habere prima facie videntur; nam serositatem trahere secundario & ex accidenti illis competere voluit. Quæ sanè Aristotelis sententia si superficie tenus accipiatur, tanto viro ac Philosopho indigna censeri poterat; nemo enim sanæ mentis mente concipere potest respectu vniuersalis Oeconomiæ corporis Aristotelem ignorasse trahendi serositatem, ac segregandi munus ac necessitatem ad renes pręcipuè ac primo loco spectare: attamen dum renes considerat quatenus ad illorum substantiam & compositionem spectat (vnaquæque enim pars sibi primum prospicere, secundo loco ad reliquas respicere ex naturæ instituto consueuit) non ab re de renum vsu deque partium tutela ex quibus integrum instrumentum componitur, rectè sensisse videtur. Hunc eundem vsum Galenus agnouit qui in libris *de vsu part.* ob id renum substantiam apprimè solidam efformatam esse scripsit, vt vasa emulgentia adeò ampla exciperet ac tutò firmaret, quibus quidem excipiendis vbi rarior atq; imbecillior extitisset, inepta fuisset. Nec verò de vasis tantùm

emul-

emulgentibus id accipias vbi in renes ingrediuntur; nam ob itineris breuitatem, & ob colligantiam quam cum vicinis partibus retinent, satis tuto eò vsq; peruenire poterant; de ijsdem quoq; intelligere debes vbi iam renes ingressa sunt, ac potissimum vbi iam per totam renum substantiam disseminantur, atq; in tenuissima veluti filamenta abeunt. Nisi enim renum substantia solidior tenues illas vasorum propagines arctè complexa esset, fieri facile poterat vt rumperentur, exederentur, aut quouis tandem modo læderentur; substerniculo igitur ac veluti quodam puluinari indiguerunt, vt non solum illarum corpus, sed & vis quoque integra seruaretur. Solida præterea esse debuit, nec multum à cordis substantia discrepans, nè immodica laxitate, qui alius à priori vsus est, vrinam fusius elabi sineret. Quo quidem vsu renes per Diabetem maxima ex parte priuari suspicandum est, vt suo loco dicetur, collabente scilicet atq; exiccata ipsa renum substantia. Amplius oportuit densam esse renum substantiam vt tandiu in illis serositas detineretur, donec attractus vnà cum serositate sanguis renibus ipsis apponeretur. Vt igitur per labyrinthæos intestinorum anfractus solidior alimenti portio eò vsq;detinetur quousq; intestina ipsa id totum exugant, quod in alimentum cedere idoneum est: sic par erat in renibus tantisper serositatem immorari, dum sibi renes alimentum apponerent.

nerent. Et quamquam nulla talis in renibus cauitas constituta sit, in qua serositas asseruetur antequam in vesicam suo munere functa detrudatur, nihilominus ex mora quam in renibus trahit dum per illorum substantiam sensim excolatur, huic vsui inseruit ne nimis cito in vesicam demittatur, atq; hoc est quod Andreas Laurentius dixit *ne fusius renes vrinam labi sinerent*.

Nunc de tractricis facultatis deprauatæ causa nobis dicendum est; etenim cum ad affectæ sedis læsionem dignoscendam, cuiusnam partis imbecillitas accusanda esset, operæ pretium foret decernere; in hoc multus fuit Galenus, donec à sufficienti partium enumeratione nullius alterius partis quàm renum imbecillitatem ad constituendum Diabetem sufficere ostenderet. non sic circa tractricis facultatis causam, quia non erat is locus in quo de causis habenda esset disquisitio; sed tantùm supposuit affectum in renibus per Diabetem exoriri caninæ vocatæ appetentiæ similem, atq; illum ad renes pertinere, eò quia renibus tantùm trahendi munus adscripsit. Siue igitur læsionis originem ab emulgentibus vasis malè affectis enasci, siue solam vim renum tractricem oblæsam esse dicamus (quod quatenus ad causæ inuestigationem attinet decernere parum nunc refert) de tractionis causa breuiter disseramus. non enim affecti tantum loci, quod in libris *de loc. aff.* Galeni fuerat institutum,

notitiam

noticiam quærimus; sed causarum quoq; tractationem prosequimur.

Ab excessu caloris tractricem vim renum in Diabete ad trahendum irritari atq; incitari pleriq; scribentium affirmant; At non desunt qui aliter sentiant, atq; aliud causæ genus comminiscantur; quorum authoritatem doctrina atq; authoritate insignis Fernelius sequutus videtur, qui postquam caliditatem renum in Diabete nequaquam sufficere scripsit, hæc subiunxit. *Sed hoc quàm rarissimè symptoma vsu venit; vixq; vllus deprehensus est qui copiosæ emictionis non aliam intus causam haberet.* Verùm nè Pauli, Aetij, & cum illis plurium nostri temporis Medicorum authoritatem floccifacere videar, qui caloris efferuescentiâ ad violenter trahendum incitari renes asserunt; ea nunc in medium afferam, quæ si attentè considerentur non parum sic opinantes hæsitare cogant. Præter igitur Fernelium, qui solius excedentis caliditatis ope tractricem impelli ad trahendum affirmare non est ausus, alij sunt qui caliditatem attractionis causam esse palam inficientur, vt subtilissimus Argenterius *secundo de morb.causis*, Laurentius Ioubertus *paradoxo* 8.*secundæ Decadis*, Felix Platerus, Thomas Campanella pluresq;alij.Quippe non paucos reperiri aiunt qui cum renum caliditate impensè laborent, parum nihilominus mingunt, & tamen si caliditas ingens Diabetem gignere apta esset, quæ iam in-

F genti

genti proxima est affectionem Diabeti proximam vt gigneret necesse esset, quod minimè experimento respondet. Præterea cum valida intemperies cuiusuis facultatis actionem destruat, & Diabetici maiorem in dies vrinæ quantitatem profundant, id non contingere ob tractionem ab aucta caliditate conuincere videtur. Quin contra vis trahendi propter intemperiei excessum in dies imbecillior euadens minus quàm antea traheret. Adde quod per renum inflammationem retinetur potius vrina quàm copiosius excernatur; & tamen tunc temporis caliditatem in renibus augeri, ratio suadet. Prçterea per diuturnas Diabeticas affectiones nullum sæpe caliditatis indicium apparet, vt plurium Diabeticorum à principio proposita exempla demonstrant. His vel similibus rationibus vtuntur quicumq; caliditatem præter modum in renibus auctam Diabetis causam esse inficiantur. Quam verò vim adductæ rationes, authoritates, atque exempla habeant, tractationis progressus ostendet. Etenim cum nullam de intemperie mentionem in pertractando Diabete Galenus fecerit, id ex alijs eius lucubrationibus petendum nobis reliquit. Alij non caliditatem solidæ renum substantiæ impressam, sed calidos affluentes humores Diabetis causam esse opinati sunt: inter quos Iacobus Hollerius, eiusque assecla Ludouicus Duretus, qui præter venenatam qualitatem, de qua paulo infra,

bilis

bilis pręſentiam tractionis renum cauſam eſſe commenti ſunt; quod vel ab Archigene, quem Aetius citat, vel ab Aretæo videntur hauſiſſe; verùm quæ ad Aretæum ſpectant, non ſicco pede tranſeunda ſunt, ſed paulò inferius examinanda; nunc quoniam inter noſtri corporis humores ſi quid veneni naturam redolet ipſa bilis eſt, idcirco in bilem renibus impactam tractionis huius cauſam ijs referre placuit. At biliosis humoribus qui ſcateant, tam multos reperiri quotidiana experientia monſtrat, vt ſi inde Diabetes oriundus eſſet, nulla frequentior affectio in conſpectum ſe daret. Quin ictericia laborantes cauſam hanc nullo niti fundamento fidem facere poſſunt; cum tamen in illis ad vrinæ vias vt plurimum vrinæ copia bile imbuta trudatur, quod ſi inſiſtas, ac non præterfluentem cum ſeroſitate bilem, ſed ipſam bilem renibus impactam tractionis cauſam eſſe volueris, reſpondebo primum ex præterlabente ſaltem Diabetis rudimenta apparere debere, ac præſertim in valde bilioſis in quibus acrior gignitur bilis: deinde nullam talem in renibus Diabeticorum bilem à nobis inuentam eſſe teſtamur, quin perſæpe ætate ſeniores & bili haud obnoxios in Diabeticas affectiones incidere: iam ſi bilis ſufficiens non ſit ad inducendum Diabetem per renes tranſfluens, nec intra renum ſubſtantiam admiſſa, longè minus id efficiet; quod ipſe Duretus putauit, vbi craſſior extiterit, & à

F 2 iecore

iecore refudans exterius renibus incumbat, adhæreſcatq; non enim neceſſariò ſequitur ex eo quod renum color aliquando viſus ſit in Diabeticis ab ipſius bilis præſentia immutari, ideò bilem attractionis cauſam fuiſſe. Quare ſi dixerim ab externa præſentia bilis, etiam vbi praua qualitate imbuta fuerit, renes potius ad expulſionem concitari, quàm ad attrahendum inuitari, fortaſſe probabiliora dixiſſe videbor. Quamquam ab eius bilis præſentia nè renes lædantur, ipſa renum conditio, quippe pinguedine obducta, præſeruare valebit.

Aliam doctiſſimus idem Duretus Diabetis cauſam adduxit, Animalculum nempè in ipſo rene exiſtens, quod quidem ſibi ipſi eueniſſe teſtatur, idq; attractionis cauſam extitiſſe. Verum enim verò cum ipſe Duretus paulò poſt ſcribat neminem Diabeticum conualuiſſe, affectionem illam ſiticuloſam, cui multitudo vrinæ iuncta erat, Diabeticam fuiſſe nè credas: potuiſſe inſuper animalculum illud renes titillando id præſtare, quod arenulæ calculique nunquam præſtitere, parum probabile eſt. Fortè alia acceſſerat affectio quæ ſitim atq; vrinæ prouentum afferebat, vt propter id Diabetis ſpeciem exhiberet. Vnde autem vir hic præſtantiſſimus deſumpſerit Galenum duos perſanaſſe Diabeticos, quos vidiſſe tantùm, non ſanaſſe Galenus ſcribit, nuſquam apud Galenum legiſſe memini. Hinc deducit Diabeticos à Galeno viſos non fuiſſe

verè

verè Diabeticos. Quod si non fuere verè Diabetici, totam Galeni de Diabete tractationem corruere necesse erit, ac pro nihilo habendam; atq; ad Diabetem non pertinere quæcumq; ille de Diabete conscripsit. An verò (quod obiter, ac Dureto ipso ansam porrigente dictum sit) Diabetes eiusdem naturæ sit cum morbis illis, quorum causa diù latitans in indiuisibili mox puncto morbum producat, eo prorsus modo quo in generatione rerum naturalium formæ introducuntur, ambigo. alia namque ratio est formarum accidentalium, ab ea quæ substantiæ est; licet per aliquos morbos id fieri non inficiar vt ex Galeno *comm. 3. in 3. de Morb. vulg.* Diabetis namq; accidentia, & si per initia non admodum conspicua sint, non tamen momento temporis apparent, sed ad morbi incrementum succedunt, ac manifestius se ostendunt. Humores igitur praua qualitate imbutos potius quàm calidos appetentiam in renibus ac prius in vasis emulgentibus caninæ similem excitare dixerim, quæ ad attractionem secundum Galeni mentem vasa illa impellat. Non enim si humoribus praua qualitate peccantibus etiam manifesta accedat, eaq; calida fuerit, ideo caliditati tractionem deberi necessario consequens est, sed ipsi prauæ qualitati cui caliditas copulata sit.

Sed an ità vis renum tractrix in Diabete perperam ad trahendum moueatur, vt reliquarum à re-

nibus

nibus partium facultates, ac illarum præſertim tractrix, otientur, vel nullo pacto læſionem ſentiant, res diſquiſitione digna eſſe videtur. Quamuis enim renes, vbi ſecundùm naturam ſe habent, abſque aliarum partium expulſione tantum ſeroſitatis trahere videantur, quantum pro quotidiana expurgatione requiritur, non tamen ſic euidenter fieri conſtat, vbi immoderata ſeroſitatis excretio fit. At verò quamquàm à principio per Galeni Diabetem ſolius tractricis renum vitio, ſeroſitatis immoderata quantitas ad renes feratur, procedente tamen vlterius morbo, etiam proximarum partium expultricem vim accedere probabile eſt. Quippè ab attractione grauatæ non interim ad expulſionem inſurgere nequeunt. Secùs dicendùm eſt de Aretęi Diabete, vt inferiùs patebit, ſi quis enim Aretęi ſententiam diligenter examinauerit, non ſolùm, non ſine expulſione Diabetem fieri iudicabit, ſed ab ipſa potiſſimùm expulſione affectionem oriri fatebitur.

Morbi igitur vel morbificæ cauſæ vi talem ſeroſitatis ſecretionem aliquando per morbos fieri certum eſt, quæ mox naturæ impetu, nunc benè, nunc malè operantis ad vrinæ vias confertim extruditur; in qua quidem functione, non vna tantum facultate natura ad explendum opus, ſed pluribus, & modò calore naturali, vel promotore vel adiutore, nonnunquam autem & extraneo ſollicitante vtitur.

Interim

Interim quamuis vnius tantùm facultatis ope actionem quampiam naturalem perfici posse mente concipias, non tamen sine mutuo aliarum facultatum consensu realiter fieri putabis. Si enim haud exciderint ex memoria quæ fusè à Galeno *in lib. de nat. fac.* & in ijs qui *de crisibus* inscribuntur, non solum facultates inuicem adiuuari, earumq; functiones inter se misceri comperies, verum etiam cuiusuis morbificæ causæ motionem ab ipsa facultate expultrice initium sumere cum ipso Galeno fateberis. Quæ verò sit qualitas quæ ad molesti toto genere præter naturam expulsionem in Diabeticis naturam cogat, quantum quidem ad probabilitatem accedere mihi videbitur posterius dicetur, vbi Diabetis ab Aretæo descripti naturam examinauero. Nunc satis sit dixisse nulla manifesta qualitate (de primis loquor) naturam stimulatam vasa tractioni destinata ad tractionem per Aretæi Diabetem impellere. Vt enim in canina appetentia ventriculi, non à calido vel frigido, non ab humido vel sicco, sed ab inexplicabili quodam vitio facultas tractrix prauè afficitur; sic emulgentium renumq; vis tractrix à praua qualitate stimulata ad attrahendum insurgit, vt quod attraxit longè à se ipsa, qua licet arte demum expellat. Imprimitur verò nonnunquàm qualitas quædam paulatim ab humoribus in partibus solidis, quæ deinde impressam sibi qualitatem in ipsos humores refundunt, vt

sub-

ſubſtantiæ poſtea potius, quàm ipſius qualitatis ſimilitudine ad quam natura vel inuita etiam per morbos reſpicere cogitur, facili poſtea negotio eâdem qualitate imbutos ad ſe alliciat. patet hoc per morbos qui contagione diſſeminantur. Sed & ipſa humorum qualitas certa ac determinata vi prędita illud idem confirmat. Quod enim tam cito quædam ex thermalibus aquis ad vrinæ vias properent, non ſola tranſmiſſione fieri credas; ſed ob id maximè quoniam vix aſſumptæ vaſis emulgentibus renibusq; qualitatem præmittunt, quam niſi aliquod impedimentum acceſſerit quod tractionem remoretur, vbi vaſa ipſa percipiunt, illicò ad attrahendum inſurgunt. Hanc verò qualitatem tàm breui temporis ſpatio præmitti non dubitabis affirmare, ſi conſideres quàm cito ex quarundam rerum odore ſternutamentum proritetur; & quàm cito ab odore alioquin grato hyſterica mulier offendatur, quamquam citò ex malè olentibus vterus in furias elatus ſubſidat. Inter itaq; tractionis cauſas quas recenſuimus hanc, quæ ab affluentium humorum certa ac determinata qualitate deſumitur, ad probabilitatem magis quàm cęteras accedere exiſtimo. Et ſanè non ſine ingenti admiratione nemo mente concipiet in Diabete ſubito eueniente, ita naturale renum temperamentum propter manifeſtas qualitates, atque caloris exuberantiam immutari, atq; inde vim tractricem adeò deprauari,

prauari, vt vniuersam totius corporis serositatem breui temporis tractu exhaurire valeat; atq; interim partes omnes ante renes & citra iecur quoque positas ita retinendi vi spoliari, ac iecur præsertim, vt nihil amplius retinere videantur, sed prorsus ac citò præ inopia arescant; & sub parua renum mole tantâ affluente serositate quamcunq; renum appetentiam satiari non posse. Ita nè renes ardorem, inflammationem, vlcera sordida ac depascentia, arenularum calculorumq; præsentiam tolerare assuetos ex improuiso calor quantumuis ingens adortus in furorem aget, atq; insano trahendi desiderio torquebit? Declamatorem non agam; neq; enim tantorum virorum sententiam omnino contemno, qui tam immanem trahendi cupiditatem vni renum calori tribuere voluerunt: at in re oculis minimè peruia, & de qua quicquam decernere Galenus non est ausus, paulò liberius excurrere mihi visum fuit. Etenim non quicquid à renibus & per renes excernitur ipsorum renum proprio semper atque primario excernitur vitio. Quidni igitur fateamur ante renum læsionem vasa ipsa emulgentia mali labem contraxisse, affluentesque humores alibi genitos & aliunde prodeuntes attractioni causam dedisse? Quì enim fieri posset vt renes ambo, eodem tempore, atq; eadem affectione laborarent, si non ex humorum vitio oriretur affectio? Quod si quis fortè concedat ex affluente quidem

dem serositate eiusque praua qualitate vnà renes quodammodo affici; at non prius inde Diabetem oriri quàm renes eadem serositate prorsus imbuti eiusq; praua qualitate irritati ad attrahendum insurgant: affectionis tamen originem aliunde proficisci, & Diabetis causas alibi sæpius ac priùs quàm in renibus quærendas, tum curationis atq; præseruationis scopos proinde aliunde sumendos esse, diffiteri non poterit: ac præsertim vbi repente Diabetes hominem adoritur, quo nempè tempore vitium ex manifesta qualitate in renibus progigni vix capere potest intellectus, aut ratio persuadere. Fortè in momento vitium renes contrahere possunt si vt partes instrumentales considerentur, quod tamen vitij genus à Diabetis causis Galenus exclusit.

At sentio, ex eo quia dixerim humores certa ac determinata qualitate imbutos esse tractionis causam in Diabete, nec quales illi tandem sint adiunxerim, ideò nonnullos obijcere, quod hoc in casu solent, occultas qualitates nihil esse aliud quàm ignorantiæ asylum. Quibus breuiter respondeo, hos è longinquo tantum rerum naturam inspexisse; nam qui rerum omnium causas ab elementorum primis qualitatibus pendere constanter affirmant, quamuis id ex Peripateticorum placitis ex suggestu eruere conentur, & ex rationibus prima facie probabilibus deducere, si sese ad experimenta conuertant,

tant, ad quæ vt ad lydium lapidem deuenire tandem oportet, nihil præter inania verba se vt plurimum iactitasse, ac nihil attulisse quod ad quæsitæ rei naturam faciat, seriò ac serò intelligent. Quid verò de qualitate quæ in Diabete trahendi desiderium in renibus, vasisq; emulgentibus excitat, dicendum sit, & an re vera tractio ista sine aliarum partium præuia expulsione fiat, quatenus ad probabilitatem accedere existimauerim, inferius explicabo: præstat enim ad Aretæi Diabetem properare nè frustra quæ mihi dicenda sunt hoc loco inutiliter præmittam.

Quicunq; Aretæi Diabeticas affectiones cum Galeni Diabete confundunt, multis se se difficultatibus atq; contradictionibus implicant à quibus postea se se explicare nequeunt. Quamuis enim vrinæ profluuium tam in Galeni, quàm in Aretæi Diabete vnum & idem symptoma sit, pro causarum tamen varietate multum inter se discrepant affectiones. Atq; in primis nullam apud Aretæum de tractricis facultatis læsione mentionem fieri notandum est; quin ex illius tractationis serie Diabetem transmissione tantum, non autem tractione fieri apertè colligitur, vbicumq; enim humor collectus stagnauerit, ad exitum, vt ille inquit, labitur. At labi non est trahi. Secundò Diabetem ab Aretæo descriptum non à renibus prauè affectis originem ducere quiuis animaduertere poterit, sed ab alia-

rum partium affectionibus; secus ac Galenus censuit, qui Diabetis originem primum in renibus perquirendam esse supponit. Tertiò Aretæi Diabetes cum dolore fit, de quo quidem apud Galenum nulla fit mentio. Quartò Aretæus inter Diabetis causas colliquationem enumerat; quam si fortè dixeris à Galeno licet non expressè concessam, plurimum tamen distabit Galeni colliquatio ab ea cuius Aretæus meminit; cum quæ ab Aretæo colliquatio supponitur Diabetem præcedat, quam verò Galeno adscribas Diabetem sequi certum sit. Quintò ad criticam acutorum morborum expulsionem Aretæus Diabetem refert, quod non admitteret Galenus qui primariam renum affectionem illam esse voluit. Tandem inde conijcias Aretæum haud existimasse Diabetem esse propriam renum affectionem, cum seorsim de Diabete pertractauerit, & postea subsequentis capitis inscriptionem fecerit de Renum affectibus; ex quo etiam inferre queas à renum affectionibus Aretæum seiunxisse Diabetem. In eo certum conuenire videntur quod aliquando in occultam quandam vel venenatam qualitatem Diabetis causam vterque referat. Galenus quidem exemplo caninæ appetentiæ quæ à manifesta qualitate, vt iam dictum est non videtur proficisci. Aretæus verò à Dipsadis morsu, quod fortassis pro exemplo dictum fuit ab Aretæo; nam tantum abest vt ab huius bestiolæ morsu Diabetes

oriatur,

oriatur, quin potius ex toto supprimatur vrina, vt videre est apud Aetium ex quo Sanctes Ardoynus, id libro de venenis accepit. At discrimen quod inter Galeni Diabetem atq; Aretæi Diabeticas affectiones intercedit vt clarius innotescat, notandum est non de vna tantum affectione sub Diabetis appellatione Aretæum esse loquutum, sed respectu diuersitatis causarum de pluribus, quamquam non admodum distinctè. Etenim modo de ingenti vrinæ profluuio quod per malam crisim quæ post acutos quosdam morbos fieri videtur, verba facit, modo frigidæ & humidæ causæ meminit; præterea colliquationem accusat; ac tandem in venenatam humorum dispositionem causam Diabetis reijcit. Singulas igitur hasce Diabetis species examinare operæ pretium est, & quid proprij habeant, vt ab inuicem distingui mereantur decernere. Ab ea ordiar quæ aliquando per crisim contingere solet, quam si placet Diabetis critici appellatione nominabo.

Optimam igitur atq; absolutam morborum crisim tunc fieri contingit quando concoctis iam humoribus, ac segregata vtili portione ab inutili vis expultrix ad expulsionem insurgit, atq; humorum reliquias ipsamq; serositatem, de qua nunc nobis sermo est, per loca conferentia è corpore detrudit. Sed & nonnunquam antequam vis segregatrix suo probè munere fungatur, ob materiæ excernendæ

cernendæ conditionem, quæ quantitate vel qualitate, vel totius ſubſtantiæ prauitate peccabat, natura cogitur expulſionem aggredi, quo quidem tempore dum materia furere videtur, nullaq; naturæ lege gubernari, mirum non eſt ſi huius generis expulſiones, non ſine ægrotantis præſertim ad ſummam imbecillitatem redacti diſcrimine fiant; ſic quemadmodum ex aſſumpto medicamento validè purgante haud rarò ſuperpurgationes ſuccedunt, per quas vnà cum vitioſis humoribus innoxij quoq; excernuntur; ita ne dubites contingere per morbos, ac morbificæ cauſæ irritationem, quæ ante criſis perfectæ tempus vel in ipſa etiam criſi mouetur. Fiunt enim aliquando profuſiores excretiones quas æger propter imbecillitatem tolerare nequit, & per quas natura ſuccumbere cogitur. Cum igitur hæc ſic fieri quotidiana doceat experientia, mirandum non eſt ſi quædam magis vel minus rarius vel frequentius accidant; id enim pro cauſæ intenſione vel remiſſione, vel pro partium noſtri corporis, vel ipſius naturæ propenſione euenit. At tunc admirari ſolemus vbi intra mediocritatis fines res non continentur, ſed vacuationes ad immodicam atq; enormem quantitatem accedunt. Sic immenſæ vel immoderatæ altitudinis homines admirabundi intuemur, mediocris verò abſque vllo admirationis ſenſu præterimus. Quid igitur prohibet ſecretam aliquando per morbos

bos

bos serositatem, præsertim cum acris illa fuerit atque copiosa, ægro iam debili, naturam sustinere amplius non posse, sed illam ad vrinæ vias critico, sed violento vel importuno motu expellere? Iam quoniam quæ de causa critici huius Diabetis Aretæus scribit paulò obscuriora videntur, quàm vt statim percipi valeant, præstat eius verba hîc apponere, eorumque sensum apertiùs explicare. Sic autem inquit. *Huiusce languoris causa aliquis acutus morbus esse potest, qui hanc in partem impetum fecerit, & in crisi aliquod malignum virus latenter morbi reliquerint*, quorum verborum sensus est, Diabetem non fieri eò quia renes proprio aliquo affectu laborauerint, sed quia humorem idest serositatis maligna qualitate imbutæ impetus, vi morbi alicuius acuti alibi quàm in renibus geniti, critico more in renes feratur; à qua præterfluente aliquam quidem renes fortasse labem sentiant, sed in ipsa serositate vitium lateat, à quo natura totius corporis gubernatrix ad expulsionem irritetur; nè quis putaret serositatem praua qualitate imbutam prius in renibus dispositionem induxisse quæ renes ad attrahendum impelleret. Etenim cum excretio ista per acutorum morborum crisim subsequi soleat, & vt prius dictum fuit, cuiusuis morbificæ causæ motio ab ipsa facultate expultrice initium sumat, quamuis attractionis ansam ex prauæ materiæ transitu renes arripere valeant, & naturæ prouiden-

uidentiâ tunc trahere vt expellant, falſa quadam familiaritatis ſpecie decepti; attamen expultrici facultati rem ab initio deberi certum eſt. De alterius verò partis morbo non renum, loquutum eſſe Aretæum inde conſtare debet, quoniam à ſolo renum morbo talis nunquam criſis expectari debuit, per quam tanta ſeroſitatis quantitas effundatur, quanta in Diabete ſpectatur. præterquamquod nullus acutus morbus criſi terminandus in renibus oriri poterat præter inflammationem ac eryſipelas, per quos vrina ſiſtitur potius quam immoderatè fluat.

Quæret autem fortè aliquis eò quia Aretæus aſſerat aliquando Diabetem fieri per aliquem acutum morbum, quales potiſſimum morbi ſint qui hanc affectionem inducere valent; cui reſpondendum eſt pleuritim, ac peripneumoniam præcipuè eſſe. Quod & ipſe Hippocrates ſub finem *Coacarum prædictionum* viſus eſt annuiſſe, cum ſcribat *prauum eſſe in morbis acutis celeriter à potu emingere, præſertim pleuriticis & Peripneumonicis* quo loco eius ſententiæ expoſitor Hollerius à ſe ipſo non diſſentiens circa Diabetis cauſas, per hos potiſſimum morbos incaleſcere renes ac ſiccitatem contrahere ſtatuit, vnde accedente illarum partium imbecillitate, hydropis quæ ad matellam dicitur inſtare metum affirmat, & nos à principio huius tractationis ſub exemplo Brigidæ Martini hoc idem ſym-

ptoma

ptoma in medium attulimus. Quòd si nonnunquam & ipsa prædictarum affectionum materia, vt in libris *de loc. aff.* Galenus testatur, vbi non benè per ἀνακάθαρσιν expurgatur, ad vrinæ vias, experientia id confirmante, transmittitur; multò facilius erit eliquatam serositatem vtpotè subtiliorem & proinde ad motum magis paratam eò viam arripere. Attentè præterea consideranti *cap. 8. lib. 2. de causis & signis acutorum morborum Aretæi* in quo de venæ cauæ acuto morbo pertractat, cui facilè arteria vicinitatis ratione consentit (*venæ enim cauæ morborum*, vt ipse inquit, *arteria particeps efficitur*) non sine ratione, nisi fallor, visum mihi est, morbum hunc inter enarratorum classem commodè referri posse. Siquidem ardor inde, orisq; siccitas, & sitis ingens oritur, per quam ægri exuberanter bibere coguntur, nec tamen à siti leuantur, sed paulò post molestior ipsa sitis redit; quæ omnia manifesta Diabeticis inesse solent; hoc tamen intelligendum est quando nec per aluum, nec per vomitum quod affatim bibitum est, excernitur, sed ad vrinæ vias tendit; quod nè disrumpatur homo sequi tandem necessarium est. Ad criticum præterea Diabetem motus ille referri debet qui fit aquâ hydropicorum repentè ad vrinæ vias conuersa; in qua quidem expulsione si æger alioquin imbecillus decedat, non alio decessisse morbo quàm Diabete, audacter dixero.

Iam de Diabete quem ex colliquatione oriri Aretæus ſcribit, nonnulla dicenda ſunt. Breuibus hic rem complexus eſt, dum dixit Diabetem eſſe carnium, & membrorum in vrinam colliquationem; eiuſq; cauſam frigidam atq; humidam eſſe, vt in aqua inter cutem. Clariùs ac diſtinctiùs ſub finem 2. *cap. lib. 3. de ſympt. cauſis* Galenus colliquationem, ac quid ex colliquatione ſequatur deſcribit; vnde non pauca deſumi queunt quæ ad naturam Diabetis, qualis vtique ab Aretæo deſcribitur, exactius dignoſcendam haud parum conducere videntur. *Fit verò nonnunquam* (Galeni verba ſunt) *ἀνασυγχώσις quædam, ideſt redelementatio, vel diſſolutio, vel liquefactio* (Denaturationem Ballonius vocat,) *modò totius corporis, modò ſuccorum dumtaxat qui in venis ſunt. Quod autem ex colliquatione prouenit aliàs ad ventrem, aliàs ad vrinam, alias ad ſudores confluit; ac ſuccis quidem qui in venis habentur in ſeroſam ſaniem ſolutis, renes qui ad id excrementum trahendum nati ſunt, ſerum quidem à venis expurgant, fluxionem autem ad veſicam; potiſſimum ſi ſani ſunt, aſſiduè mittunt. Vbi autem renes trahere non valent, aut venæ eiuſmodi ſerum in ventrem mittunt, aut toti id corpori partientes, ſubitaneos hydropum ſtatus inducunt.* Ex quibus qua ratione Aretæi Diabetes à colliquatione oriendus fiat manifeſtè colligitur. Aretæus quidem de carnium membrorumq; colliquatione tantummodo mentionem facit: at Galenus de ſuccorum quoque colliquatione

ne non tacuit, qui promptius ac facilius absq; ingenti calore in serositatem liquari possunt; cum carnes non nisi feruentissimo æstu dissoluantur *vt 3. in 3. de morb. vulg.* idem Galenus docet. Tantam verò ex tali colliquatione succorum serositatem prouenire posse affirmat, quanta, si in ventrem defluat, ad inducendum subitaneum hydropem sufficere valeat. Hinc deduci potest, si serositas non in ventre colligatur, vel in habitum corporis distribuatur, sed ea ad vrinæ vias conuertatur, non minus inde affectionem Diabeticam ab Aretæo descriptam, quàm verum Galeni Diabetem gigni posse; prout vel in renes demandatur, vel à renibus trahitur. Verum si tantam serositatis portionem renes, si sani sint, trahere possunt, quanta ad inducendum subitaneum hydropum statum sufficit; iam licebit mirari cur Galenus adeò laborauerit, tantusq; fuerit in assignanda deprauatione tractricis renum facultatis pro Diabetis generatione. Obiectionem aliquis fortasse diluet, dicendo sanis renibus tractionem quidem hoc in casu deberi, sed non ita breui temporis spatio, neq; adeò confertim vt in Diabete contingit. Attamen vix euadere poterit, si de diuturno Diabete sermo fiat, vel de eo qui non adhuc ad statum peruenerit. Quamquam si de subitaneo hydropis statu euitando intelligamus dubitandum non est, quin tunc renes, etiam dum sani, breui tempore atq; affatim trahant. Ni-

 hil

hil igitur obstare videtur quò minus ex colliquatione ea serositatis quantitas colligi possit, quæ ad efficiendum Diabetem idonea sit, præsertim vbi ex causa frigida & humida colliquatio oriatur. Hæc etenim intemperies siue per se atq; immediatè talis accedat, siue mediatè & per accidens, ob caloris excessum vel post illum sequatur, serositatis redundantiæ occasionem dabit. Quòd autem ob caloris excessum frigidæ oriantur in corporibus affectiones, hydropes repentè per morbos acutos aduenientes quotidie demonstrant; sic nihil prohibet per eandem frigidam & humidam intemperiem colliquationem fieri, congeneremq; hydropi affectionem progigni, ad quod idem Aretæus fortè respiciens, capiti de hydrope immediatè caput de Diabete subiecit. Ego quidem vidi Sebastianum de Brenis Lucensem Ciuem ex humida frigidaq; corporis totius constitutione in succorum colliquationem, atq; inde in enormem vrinæ quantitatem cum ingenti siti bis incidisse; vnde conieci vel sanis renibus tantam vrinæ copiam prodire posse, quæ hydropem, etiam vltra principium progredientem impedire potuerit. Has verò affectiones, siue per acutos morbos eueniant, siue paulatim ac sensim suboriantur, symptomaticas esse constat, ac proinde à critico Diabete seiungendas. Habet enim plerumque tunc morbus sua tempora, quæ sensui adeò manifesta sunt, vt commodè dignosci va-

leant,

leant, qua quidem ratione inter diuturnas affectiones hanc Diabetis speciem Aretæus reposuit; licet acuti speciem tunc affectus exhibeat, cum perfecto iam morbo ægri salus omnino desperata est; quo quidem tempore non ægrotantibus dumtaxat, verùm & ipsis quoque Medicis sæpe imponens, acutus esse videtur. Sed cum causa hæc frigida & humida respectu Diabetis nonnullas continere difficultates videatur, præstat paulò prolixius circa illam immorari. De frigiditate autem quæ talis actu sit, parum sollicitus essem, quandoquidem non de hac, sed de ea quæ potestate talis est Aretæus loquutus esse videtur. Verùm cum vir celeberrimus Victor Trincauellius 2. *epistolarum libro* binis epistolis ad Theophilum Varinonium, inter Diabetis causas tam externam frigiditatem, quàm potionem intense frigidam enumerauerit, de hac quoque nonnihil mihi dicendum fuit. Et quatenus spectat ad frigiditatem externam, per hanc putat ille contentricem facultatem infirmari, experientia doctus, nam vt inquit, *si frigus hyeme perpessi simus, præsertim secundum pedes, sæpius & solito plus mingere solemus.*

Per internam vero, dum ex potu nimium frigido Cardinalis Pisani fratrem in Diabetem, communi omnium consensu, incidisse refert. Contra hanc opinionem nouissimè in suis medicinalibus Thomas Campanella insurgit, eò quia frigidi sit consti-

pare, atque occludere; vnde nec ferum, nec potum celeriter frigus in renes perducet, potius autem, vt dicunt, retinebit ne transeat. At quid frigus externum frigidusuè potus in corporibus efficere valeant, non bene obseruauerunt illi, de quorum mente Campanella visus est loqui. Etenim vel ipsi Diabetici potum quamuis niue perfrigeratum, atque confertim ingurgitatum nihilominus ad vrinę vias citissimè ferri quotidiano testantur euentu; quod & exemplo à Trincauellio adducto confirmatur. Sed nonne flante Borea, atque expressa vi frigoris humiditate aliarum partium, oris siccitas ac sitis oritur, vt non minus, quàm per ingentes æstus homines bibere cogantur, potumque ob id plurimum ingerunt, totaq; serositas ad vrinæ vias feratur, vt probabile sit in proximè dispositis hanc de causa Diabetem aliquando posse oriri? Plura tamen sunt quæ Trincauellij sententiam suspectam reddant. Non enim si de Galeni Diabete intelligit, retentricem læsam esse ad inducendum Diabetem sufficit, sed oportet vim tractricem alia ex causa quàm propter frigus ad trahendum incitari. Et exemplum ab ipso allatum potius conuincit suscitatam iam affectionem ad frigidæ potionis desiderium ægrotantem inuitasse, quàm frigidæ inopportunum vsum Diabeti causam dedisse. Qui vero frigiditatem externam pro causa adducunt, si de procathartica intelligi volunt, non sunt reprehendendi

hendendi ſecus autem ſi de proxima & immediata, de qua iam mihi ſermo eſt, & de qua præter reliquas Diabetis ſpecies hucuſq; explicatas Aretæus verba facit. Hæc verò eſt frigiditas atq; humiditas intra corpus exundans; cuius quidem ſententiæ ipſe Aretæus author extitit. Verùm enim verò non tanti facienda videbatur Aretæi authoritas vt illi abſq;alicuius rationis acceſſione fides haberi deberet, præſertim cum non deeſſent qui eundem inconſtantiæ accuſarent; quoniam cum ab initio capitis hanc pro Diabetis cauſa adduxiſſet,paulò poſt veluti ſui oblitus ex acuti cuiuſquam morbi reliquijs ad vrinæ vias iter arripientibus eundem oriri voluerit. Porrò acutorum morborum reliquias non ſine ratione caliditatis ſobolem eſſe quiſpiam obijciet. Præterea aſſerere ſitim ingentem quæ de natura Diabetis eſt, ſub intemperie frigida & humida negotium facere ἀδύνατόν τι ſapere videtur. Nam cum ſitis ſit frigidi atq; humidi appetentia, quis præſente frigida & humida cum cauſa tum materia, ſiti laborare vnquam poterit? Sed cum non Aretæus tantùm, verùm & ex Arabum familia Auicennas & Rhaſis ex Aretæo, vel cum Aretæo idem ſentiant; ideò aliquam ſubeſſe rationem probabile eſt, qua tot viri celebres moti in hanc ſententiam iuerint. Victor ipſe Trincauellius qui prior Aretæum inconſtantiæ accuſare auſus eſt, non ſolum Diabetici illius meminit, de quo

antea dictum eſt, qui cum febre acuta correptus prius fuiſſet, ac potum nollet admittere niſi gelidum, in Diabetem incidit, ex quo etiam obijt; hic nempè nullum in renibus vel hypochondrijs inſignem percepit calorem; Sed etiam expreſsè Aretæi ſententiam ſequutus eſt, ac ſequi velle conſtanter affirmauit; quod hac verborum ſerie teſtatus eſt. *Attrahunt quidem renes ſi quis ſit talis humor in venis, quamuis nulla interdum adſit calida intemperatura; non negamus tamen quin à calidiore facilius ac violentius fiat eiuſmodi attractio: & propterea vt credimus, ſæpius ab illa quàm à frigida fiat Diabetes. Tum ergo ab experientia doctus, tum etiam rationibus & authoritatibus ductus in hanc ſententiam facilè deſcendi, quam credo me ſeruaturum eatenùs, donec aliquid quod veriſimilius mihi videatur, audierim aut legerim,* Trincauellio videtur adſtipulari *Gulielmus Ballonius* 2. *epidemiorum* de vxore D. Doniſot *Diabete,* inquit, *laborauit; & pituitam acidam eum affectum committere ſignis colligebant*. His adde me quoq; per Diabeticas affectiones obſeruaſſe, vt ab initio tractationis adnotaui, ægrotantes valde ſiticuloſos, ac nulla, vel leuia caliditatis indicia præ ſe ferentes, vitam cum morte commutaſſe. Quos licet non ob id quòd actu calidos vulgus rerum tantum ſuperficiem animaduertere aſſuetum perciperet, frigidiore tamen intemperie laborare peritiores affirmare non dubitauerant. Quandoquidem non tantum per morbos,

bos, sed & intra sanitatis limites contentos non paucos reperias, qui vniuersi corporis, vel peculiaris cuiuspiam partis frigida temperie donati sunt; actu verò tantum frigidi deprehenduntur, cum vita ipsa fugit quæ in calore posita est, & mors est in propinquo.

At si Trincauellius qui se experientia & rationibus ductum esse in hanc sentētiam scripsit, aliquam ex rationibus sibi notis adduxisset, faciliori negotio ex hoc inextricabili labyrintho nos eduxisset. Nullam verò aliam apposuit præter hanc, quòd sub frigida & humida intemperatura licet alteratrix, & retentrix facultas valdè labefactari queant, non tamen necessarium sit vim attractricem oblædi; quapropter Diabetem fieri ex frigida & humida causa cum Aretæo sensit; sed non animaduertit se Galeni Diabetem cum Aretæi Diabete confundere, in qua idem Aretæus ne verbum quidem de vi renum tractrice læsa fecit; sed accidens hoc vel morbum, vel affectum, vel affectionem, vel quocunq; nomine appellare volueris, in sola transmissione consistere visus est affirmare. Quamuis autem in hoc Diabete frigiditas & humiditas à principio occasionem morbo dedisse videantur; procedente tamen vlterius morbo, totaq; ferè humiditate ad vrinæ vias transmissa, in vniuerso primum genere venoso, inq; tandem vniuerso corpore siccitatem relinqui necessarium est; vt non tantum naturalis

ſitis in renibus vaſiſq; emulgentibus, ſed & ſenſu perceptibilis in ventriculo ſuccedat. Sic propter iugem vacuationem ſiccitas inducitur, atq; à ſiccitáte ſitis. Non tamen citra aliquam actualem càliditatem hæc fieri putandum eſt, quoniam nulla in viuentibus abſoluta frigiditas datur. Ex indeſinenti quoq; motu humorum aliquam in ſpiritibus accenſionem ſuboriri neceſſarium eſt. Quod morbi ipſius progreſſus ab Aretæo deſcriptus his verbis oſtendit. *Cum futurus eſt morbus, os humore priuatur, ſaliua eſt albida, ſpumans perinde atque in ſiti; nondum tamen ſitiunt; præcordia grauia ſunt, calorem aut frigus à ventre in veſicam tendere ſentiunt, pro vt aduentantis morbi proceſſus eſt; quin etiam paulo plus lotij quàm moris erat effunditur, ſitis adeſt, ſed nondum vehemens; Cumque amplius crementum accipit, calefactio parua quidem ſed mordax viſceribus inhærens exoritur, abdomen habent rugoſum, venas extantes, totum corporis habitum gracilem, quando & vrinæ profluuium, & ſitis, iam aucta inſigniter ſunt.* Notandum eſt Aretæum huic Diabeti adſcripſiſſe modo frigus in ventre, modo paruam calefactionem. Si quis igitur diligenter expendat quicquid Aretæus per hunc Diabetem obſeruauit, & quicquid experientia doctus conſcripſit; is ſanè ſub hoc morbi progreſſu rationem apertè contineri fatebitur, cuius vi non ab ingentis caloris præſentia, ſed à ſiccitate atq; ab humoris indigentia ſitim oriri

ri con-

ri contingat. Neq; verò dubitamus asserere quæ Aretæus dictauit, ea visu comprobasse; nam ex ijs quæ sub finem capitis de hydrope scripsit eius ingenuitas dignoscitur; cum quæ ipse non vidit, scribendo affirmare noluerit, & quoniam eandem cum hydrope generationem hunc Diabetem sortitum esse putauit, ideò eius causam frigidam & humidam, vt in hydrope, esse scripsit. Quod à veritate alienum, si attentè consideretur, censeri minimè debet, tam si causam materialem, quàm si efficientem contemplaris; nam detentis in visceribus ac iecinore præsertim, vitiosis humoribus, atque ibidem incalescentibus, vnà cum ipsa iecinoris substantia naturalis calor obruitur; vnde mox frigidi affectus oriuntur; & chylus non ex reuerberato calore, vt ingeniosè Campanella commentus est, sed ob remissam caloris vim, in serositatem permutatur; non enim in visceribus animalium quemadmodum in fornace reuerberatio fieri potest, quando coctiones in corporibus animalium elixatione perficiuntur; ac propterea non inde sal gignitur vt in locis subterraneis, sed salsuginosa tantum serositas, vt iam iam aperiam. Materiali itaq; causa præsente quæ tam ad hydropem quàm ad Diabetem parata est, si memineris Diabetem apud Aretæum transmissione fieri, nihil obstabit quin ex frigida & humida causa Diabetem oriri concedas. Superest modo vt de peregrina qua-

dam vel venenata Diabetis causa, quod antea pollicitus fueram, breuibus differam. Aretæus vt Bupreſtis venenum inter hydropis, ita Dipſadis inter Diabetis cauſas enumerat. Quicquid verò ſit de eiuſmodi cauſis non multum laborandum eſt; quippe vel rarò, vel potius caſu eueniſſe puto ſi Diabetes inde ſit ortus. Sed nec primas quas vocant elementorum qualitates pro illius generatione accipiendas eſſe cenſeo; cum quotidie tam in toto corpore quàm in ſingulis eius partibus exorbitare illas contingat, nec tamen Diabetes excitari, niſi admodum rarò deprehendatur. In hoc igitur Diabete qui poſtremo loco ſe ſe nobis offert, prauam adeſſe qualitatem Aretæus voluit, qui aliquod malignum virus latenter per morbos acutos relictum, & per criſim ad vrinæ vias tranſmiſſum, Diabetis cauſam eſſe pronunciat; & clariùs Dipſadis exemplo, quod exempli gratiâ appoſitum fuiſse iure ſuſpicati ſumus. Profectò peregrina quædam ac venenata qualitas in humoribus reponenda erat potius in Aretæi quàm in Galeni Diabete; quoniam manifeſtius per Aretæi Diabetem expultricis facultatis opus apparet; ab hac enim facultate irritata affectio hæc oriri videtur.

Prodigioſam hoc loco expulſionem præterire nequeo, cuius Vidus Vidius cap. de Diabete menſionem facit, & quæ in peregrinam quandam & occultam

cultam causam omnino referri debeat eius verba sic habent; *Neq; eorum sententiam omnino contemnendam esse credimus, qui ad prædictas huiusmodi affectionis causas addunt quoq; irritationem quandam latentem facultatis expultricis singularium partium nostri corporis, & potissimum venarum atq; arteriarum profectam ab ipsius serosi humoris acrimonia, siue ab alia quadam nobis minus perspecta praua qualitate, quam idem humor contraxerit ob immoderatum calorem cum siccitate coniunctum iecoris, atq; habitus totius corporis, ad cuius sic affecti humoris expulsionem per viam aptissimam ipsius vrinæ, arteriæ ac venæ omnes per quascunque partes dispersæ insurgunt, & inde admirandæ naturæ propositum symptoma exoritur.* An verò occulta, ac maligna qualitas, quæ tàm in Galeni, quàm in Aretæi Diabete aliquando negotium facere creditur, eadem vbiq; esse possit, ambigo, atque hæreo. Attractio enim, atq; expulsio, penes quæ Galeni Diabetes ab Aretæi Diabete differt, oppositi motus sunt, & non ab vna eademque causa oriri posse videntur: differre prætereà probabile est malignitatis gradu, quoniam cum attractio ob familiaritatem fiat, expulsio autem propter incongruum, atq; inimicum obiectum, minùs malignitatis adesse alicui videbitur in Galeni, quàm in Aretæi Diabete. Quod autem probabilius sit, vtriusque affectionis comparatione res dilucidior fiet, tractionis in Galeni Diabete causam prius nobis disquirentibus.

Primùm

Primùm itaque ſuppono vrinam in ſecunda coctione quæ in hepate celebratur ſui primordia accipere; & cum in eadem coctione humores propriam auſpicentur naturam, & vnuſquiſq; illorum ſua conſtet ſeroſitate, quæ tandem vbi muneri ſuo ſatisfecit tamquam inutilis per renes in veſicam demittitur, conſequens eſt vrinæ materiam non tantum immediatè ex potu, ſed & ex humorum ſeroſitate conſtare. Secundò ſeroſitatem hanc non ſolum ob ſalem quo in victu quotidiano vtimur, ſed ob illum maximè qui in omnibus penè eſculentis potulentiſq; latitat, ſalſuginem contrahere. Quod vlteriori probatione non indiget, cum ſenſu talis in vrina deprehendatur. Tertiò eandem ſeroſitatem plus minuſuè ſalis qualitatem induere, prout victus ratio, & corporis conſtitutio ad ſalis generationem conferunt. Etenim non veremur affirmare vnà cum Chymicis in hominum corporibus materiam ad ſalis generationem proximè diſpoſitam reperiri; quod per chymicas operationes euidenter apparet. Plurimum namq; ſalis ex vrina colligitur. Quartò eandem quoque ſeroſitatem diutius quàm par eſt in vaſis venis ſcilicet atq; arterijs, & in toto corpore aſſeruatam, maiorem in dies ſalſedinem acquirere. Quod non ſolum pruriginoſæ papulæ quæ moleſto cruciatu interdum toto corpore erumpũt, ſed & aqua ipſa hydropicorum aſciticorum euidentiſſimè oſtendunt. Quintò licet

ſalis

salis proprium sit cogere, densare, atq; humiditatem absumere vel exprimere, non tamen putandum est hæc ipsa ita salsuginosis competere, vt sali ipsi propria sunt, præsertim cum plurimus humor insipidus sali misceatur. Tunc enim salsum & incîdit & abstergit, & abluit, vt Pamphilo *lib. 3. de aquis* visum est, imo Hippocrati ipsi qui *in lib. de affectionibus* salsum secedere, atq; vrinam mouere scripsit. Sextò emulgentia vasa renesq; serositatem potissimum trahere ob familiaritatem quam cum salsedine sortita sunt. Quippe nisi inter facultatem tractricem harum partium, atq; obiectum familiaritas intercederet, neutiquam tractio fieret; vnde idem Pamphilus scripsit Naturam modicè salsis delectari, eaq; appetere atq; complecti. Est enim salsum ignis in aqua, ex quibus animal constat. Cum igitur negari nequeat vrinam nunquam salsedine spoliatã esse, negari quoq; non poterit renes quòd vrinam trahant, cum salsedine familiaritatem habere. Septimò salsedinem hanc cuius serositas particeps est, quamdiu eadem serositas sanguini commista est, ac quantum satis est, idest secundum naturæ leges ac modum trahitur nullam naturæ molestiam inferre: at vbi præter modum in venis augetur, vel opportunè non excernitur, vel importunè trahitur, noxas euidentes afferre. Octauò licet in maioribus vasis, venis scilicet atq; arterijs purior & elaboratior sanguis vt plurimum contineatur,

neatur,

neatur, fieri tamen nonnunquam vt ibidem exardeſcat, atq; Cauſi ſpeciem illam valdè pernicioſam inducat quæ ex ſalſæ pituitæ commiſtione oritur; cuius pathognomonica ſigna ſunt calor immodicus atq; vrens, ſitiſq; inexplebilis, quibus ſi vrina tenuis & aquoſa ſuperueniat, lethalis portenditur exitus.

His itaque ſic ſuppoſitis, aio; Qualitatis vitium quod in Galeni Diabete caninam veluti appetentiam in renibus vaſiſque emulgentibus excitat, & cuius præſentiâ nimia fit ſeroſitatis attractio, in ipſius ſeroſitatis excedente ſalſedine quam temporis tractu ob prauam, terreamque partium diſpoſitionem acquirit, poſitum eſſe. In hanc porrò ſententiam, (licet plerique non minus acres ac bilioſos humores quàm ſalſos accuſent) ire mihi tandem placuit; non ſolum quia ſalſedinis rudimenta iam ante Diabetis generationem in vrina adeſſe conſueuerant, ſed ob id maximè quoniam per Galeni Diabetem de vrinæ acrimonia deque bilis pręſentia Diabetici minimè conqueruntur, & quidduis aliud eorumdem vrina quàm bilis naturam vel copiam repræſentat. Quod ſi orta ſuis debeant atteſtari principijs, vt Philoſophi docent, profectò mirum videri debet quomodo bilioſos humores ibi accuſare illis in mentem venerit, vbi nulla exuperantis bilis indicia in vrina ſe prodant; vnus igitur poſt alium, ac deinceps ferè omnes in acres bilioſoſque

ſoſque

sosque humores Diabetis causam reiecerunt; de quibus quidem nihil est ausus Galenus affirmare, qui fortè difficultatem subodoratus satis sibi esse putauit sedem prauè affectam in Diabete inuenisse; vitiosorum verò humorum naturam qualitatemque indiscussam relinquere. Quod si quis ad bilem in iecinore, vel in alia quauis corporis parte efferuescentem recurrat, is videat ne vel inuitus cogatur fateri Diabetem non esse renum propriam affectionem, & sic nobis Galenum illusisse suspicetur. Quare illorum placitis potius acquiescere nobis visum est, qui salsedinem pro Diabetis causa adduxerunt, quorumq; Aetius, qui Galeni mentem vbique propiùs attigisse videtur, Antesignanus est. Hic enim cum vitiosos humores in renibus impactos, vel eò confluentes Diabetis esse causam iudicauerit, in eiusdem affectionis curatione ea præcisè exhibenda esse monuit, quæ salsuginosos humores diluant; ac proinde *à Thoma Campanella in suis Medicinalibus* rectius quid de Diabetis causis sensisse dicitur. Sic *Andreas Cæsalpinus* salsos in renum corpore humores Diabetem gignere existimauit, & ab immoderato Crethami vsu (planta hęc valdè salsuginosa est quam Fęniculum marinum appellant) enatum esse aliquando Diabetem, si quâ illi fides est, vel haberi debet, fidem facit *Amatus Lusitanus*. *Gulielmus Ballonius* 2. *suorum Epidemiorum* Diabetici cuiusdam meminit, qui etiam Diabete

interijt. *Huic*, vt inquit, *nullum commemorabile vitium aderat, quod sub obtutum caderet. Sed morbus partim sæpe τῆς ὅλης οὐσίας est, & sæpe sitis est renum irritata facultate expultrice. Et hic morbus inexplicabilis ferè est; imo hepatis δυσκρασία & venarum, cum dispositione humorum nitrosa ac salsuginosa facile communicatur renibus*. Nec duplicis causæ meminisse illum quis dixerit; nam qui nitrum salis esse speciem nouerit, is à sola salsedine, quod ille putauit, Diabetem prodire absq; dubio affirmabit. Sed non minimum est quod Rabbi Moyses ob Nili aquam salsuginosam frequenter in Ægypto Diabetem conspici scripsit. Verum cum huius recutiti authoritatem in dubium nonnulli reuocare videantur, eò quia Nili aqua probatissimis authoribus optima habeatur, ac siti sedandæ peridonea censeatur, placet hoc loco paulisper immorari, & illius sententiam diligenter excutere; nam si certis nititur fundamentis, non parum nostræ, & aliorum sententiæ authoritatis accedet, qui humorum salsedini Diabetis causam adscribimus. In aphorismis igitur quos ex Galeno vir iste collegit, postquàm Diabetem ex Galeno attulit, hæc subiunxit. *Neq; ego Diabetem vidi in his Occidentalibus partibus, neq; Præceptorum vllum vidisse audiui. In Aegypto autem decem annorum spatio quibus ibi egimus plus viginti vidi. Quod argumento est eum morbum in calidis regionibus sæpius fieri; nisi fortè Aegypto frequentior sit ob aquas Nili salsu-*

salsuginosas, quibus Aegyptij vulgo vtuntur. Hæc ille.

Iam si ille solus plusquam viginti vidit, multo plures ab alijs Medicis per vniuersam Ægypti regionem visos fuisse probabile est, multosque quotidie morbum quòd absq; dolore fiat paruipendentes, ac Medicos proinde non semper vel opportunè aduocantes, hoc morbo interire. Verum licet de huius affectionis frequentia in Ægypto referenti fides haberi debeat, non tamen sic de causa quam adducit, cuius constare videbitur; præsertim cum hæsitanter de illa mentionem faciat, cum non absolutè sed sic fortè fieri dicat. Imò cum Galeni, Senecæ, Plinij, aliorumque probatissimorum virorum authoritate Nili aquæ, vt dictum est, omnino salubres sint, ac sitim sedare aptæ, qua ratione Diabetem excitabunt, cuius naturam siti eâq; intolerabili constare certum est? cur potius si sitim sedant, non erunt Diabetis præsentissima ac præstantissima antidotus? quippe ablata siti Diabetes desinit esse Diabetes, & contra si salsedo Diabetis est causa, quî poterit sitis in Diabete tolli ab vsu aquæ Niloticæ cum salsuginosa sit? An igitur vt de causa à Moyse allata dubitare licet, sic de illius aquæ salsuginosa qualitate dubitandum erit? At vix credi potest per tantum temporis spatium in Ægypto degentem, in re quæ sensu iudice decernenda erat, hominem Philosophum ac Medicum deceptum fuisse; multo minus decipere voluisse.

Quòd si non fuit deceptus, quomodo possunt cohęrere hęc, Nili aquam salsuginosam esse, ac sitim sedare? equidem crediderim ob Ægypti terram feruidam & in ipsa Æthyopia à solis radijs quàm maxime exustam Nili aquas illhàc prætereuntes, ac potissimum ibidem stagnantes nonnihil salsuginosi contrahere, atque eius rei gratia fęcundas ac fętiferas esse in Ægypto fęminas, atq; ad id Poetas sub fabulæ inuolucro respexisse, dum ex salo Venerem ortam esse commenti sunt; ac propter eandem rationem qui inter cęteros in Venerem plurimum procliues sunt, salaces appellatos esse. Certè excoctam esse Nili aquam & ratio suadet, & scribentium authoritas confirmat. *Hieronymo Cardano in libris de subtilitate* Nili aqua dulcis dicitur; *Senecæ in Quæstionibus naturalibus* dulcior; *Scaligero in exerc. adu. Cardanum* dulcissima. At dulce ad salsuginosum via est & quamuis non crediderim hos viros de vitiosa, idest de manifesta dulcedine loquutos fuisse; de aliquali tamen dulcedine quæ suauitatem aquæ conciliare valeat absq; dubitatione intellexisse illos censendum. Vnde igitur dulcedinem ac suauitatem acquisiuit? aut cęli aut soli causa talis euasit; siue aut cęlum siue solum affirmes, aliquid de suo vel cęlum vel solum illi dederunt. Sol coctionem præstitit; at quę coquuntur inter coquendum salsuginosa fiunt. Nec minus à solo dulcedo hęc quę ad salsedinem quodammodo accedit,

petenda

petenda venit. Quare solum quoq; ipsum accusauerim, vt pote subsalsum; ac modice salsum plurimo humido insipido mistum quandam dulcedinis speciem parit;sic Bętis in Hispania Guadalcanir vulgo dictus fluuius Auerroi admistionem quandam salis habere dicitur, licet manifeste non sentiatur;tales namq; sunt aquę qualis terra per quam fluunt. Sed & Plinius, & Strabo salsuginosam esse Nili aquam concedent, cum vbiq; per Ægyptum salis fossæ, & nonnullis in locis quos Nilus alluit propè sint salis montes, & alibi Plinius ipse nitrosam esse eandem fateatur. *Boterus 3. suarum Relationum* sic scripsit., *Alueus Nili vt plurimum salsus percipitur*, quin itaque salsuginosa sit Nili aqua, vt Rabbi Moyses testatur, dubitandum non est. Si itaq; ad assiduum illius aquæ vsum praua quoque quæ ad gignendum Diabetem conferat,victus ratio accedat, hominesq; proximè ad hanc affectionem dispositi sint,quò minus Diabetes inde sequi valeat nihil obstabit. Sitim quidem haud aliter ac spiritus salis arte chymica elicitus & plurimo humori mistus sedare poterit, alia verò ratione corpora ad Diabetem disponere; nam cum non diù, secus ac aquæ crudiores faciunt,hæc in ventriculo immoretur, sed ad vrinæ vias properet, sensim ad faciliorem vrinæ transitum atq; ad attractionem naturam renesq; disponet, vt sic eorum voluptati primum, ac deinde necessitati satisfiat. *Gulielmus Fabritius*

Hilda-

Hildanus Medicochirurgus insignis Diabetem ab vsu acidularum Griesbachensium enatum esse refert *centuria quinta suarum Obseruationum*. at ex chalcanthi minera illæ prodeunt, ipsumq; chalcanthum *Matthiolo teste in quintum Diosc.* non solum ferri atq; æris, sed nitri salisq; fodinas sequitur. Ex his omnibus satis manifestum est non sine salsedine Galeni Diabetem fieri, cum præterea pauci sint qui salsedinis in Diabete non meminerint, nemo qui illam excluserit. An vero vt mineralia hæc salsedinem renibus imprimere valent, sic ex vegetabilium familia aliqua reperiantur eundem effectum producentia, dubitari potest: etenim Diureticorum vsus quotidie frequens est, ac tutus proinde esse videtur; multa namque reperiuntur quæ eò vsque vrinam ducunt, vt etiam sanguinolentam ducant, nec tamen inducere Diabetem visa sunt. Contra ex Amato Crethamum in medium adduximus, & *Nicolaus Tulpius Amsterredamensis Medicus præstantissimus lib. 2. obseruat.* ob vini maluatici vsum cum seminibus vrticæ potati, ab immoderato renum calore, imbecillitate, vt ille inquit, contracta, ac dissipato illorum tono, iuuenem quendam in Diabetem incidisse scriptum reliquit. At si quoscumq; insignes vrinæ fluxus Diabetis nomine comprehendere velimus, vt *Hieronymus Capiuaccius* voluit, etiam ex vegetabilibus Diabetem licet nothum fieri concedemus. Causæ quidem istæ remotiores sunt quàm

vt Diabetem inducere queant, sed tantum serosos humores secernendo vrinę materiam dabunt, quam renes etiamdum sani ac citra propriam læsionem hauriant. Sed satis de peregrina qualitate ex qua Diabetes oriendus est, dictum sit. Nisi quis adhuc instet, & salsedinem potius ad manifestas causas reducendam esse quàm ad peregrinam contendat. Nos peregrinam renibus fieri salsedinem intelligimus cum iam ad eum gradum peruenerit, vt renes eius vi serositatem vndique trahere cogantur, quæ iam illorum siti par esse queat. Nam de venenata quemadmodum Aretæus atq; ex illo Hollerius statuerunt, nihil nobis in præsentia constat, nec apud quemquam illius exempla legimus. Hollerius quidem venenatam aliquando qualitatem admisit, & venenum aliquod ex deleterijs huius accidentis causam esse posse. Verùm cum nullum ex naturalibus venenis, quod ego sciam, Diabetem inferre visum sit, & accidens hoc sæpe absque vllo doloris sensu, nullisque interim assumpti vel eiaculati veneni apparentibus indicijs hominem perimat, in hanc sententiam facilè adducor; vt si hac de causa aliquando Diabetes sit ortus, ex veneno non suis natalitijs viribus, sed artificiali potissimum præparatione fabrefacto id contigisse credam. Quale autem esset venenum illud deleterium de quo innuere videtur, vel non nouit, vel si nouit iustis de causis reticere illi consilium fuit. Venena enim ac præ-

fertim

fertim arte parata, vel præcauendi vtique gratia silentio inuoluere quàm docere, ac propalare tutius existimauit. Quid enim scire iuuet qua arte paretur venenum, cuius deinde efficacitatem nulla superare vel infringere valeant auxilia? profectò si hac ex causa Diabetes fiat, immedicabilis prorsus, ac duplici nomine rarus affectus habendus erit.

Vt denique aliquid dicamus de quibusdam affectionibus quæ Diabetem proximè imitantur, & per quas vesica quoq; vrinaria in causam Diabetis venire credita est; non hîc omittenda est historia quędam ex Gulielmo Ballonio in suis Epidemijs de affectu quodam Diabeti valdè consimili, de quo ille sic. *Affectus hic Diabetem multis ementitus est: causam ad renes referebant; Mortuis contracta planè vesica reperta est, cum gangrana, & tumore σφακελώδει in capacitate ipsius vesicæ. Quod notandum est, vt ille monet ne quis decipiatur*; at quamuis nulla renum prauè affectorum indicia Ballonius ipse ex dissectione perçeperit, cum tamen Diabetis imaginem ob vrinæ ingentem copiam animo prius ille concepisset, valde suspicandum est vesicam ipsam superiorum partium vitio abundantiorem vrinæ quantitatem excepisse, atq; ab illius salsa vel quomodocumq; praua qualitate sensim vlcus & gangrænam contraxisse, & verum adiunctum esse vel præcessisse has affectiones Diabetem. Huius etenim affectio-

nis

nis manifeſta indicia qualia Ballonius deſcribit; in Perill. atq; admodum Reuer. D. Paulino de Bernardinis apparuere, cui per rara primum, mox per crebriora temporis interualla, non ſine ſiti, in veſicam vrinæ plerumque aquoſæ, cum lipothimiæ inſultu, ac lethargicis affectionibus, & febre, inſignis copia tranſmittebatur;& cuius non minore noxa lęſam eſse veſicam, diſsecto cadauere, αὐτοψίᾳ conſpeximus.

Ex his porrò obſeruationibus dubitabit aliquis an ad Galeni Diabetem conſtituendum veſica vrinaria concurrat; nam cum illi non deſint cuiuſuis generis fibræ, quibus non ſolum contineat, atque expellat, ſed etiam trahat, fruſtra his donata eſſe videretur ſi non traheret;trahit igitur, non quidem vt attracto nutriatur, cum venæ per illius ambitum diſſeminatæ ſint, ex quibus alimentum capiat, ſed vt ſeroſitatem quam à renibus accipit tandiu contineat, donec eam expellendi tempus adueniat. Non tamen quia attrahit, ideo vim eius tractricem in Diabete deprauari contingit;non enim vt à reliquo corpore renes, ita à renibus veſica per Diabetem trahit. Quòd ſi Galenus ſcripſit Diabetem eſſe renum veſicæq; affectum, id fortè dixit ad alterius facultatis ipſius veſicæ vitium potius reſpiciens, quàm ad ipſam vim tractricem; vel quia adeò exiguum ſit quod illa trahit, vt reſpectu attractionis renum, pro nihilo veſicæ tractio haberi debeat;

quamquam vbi ex affluentium humorum vitio Diabetes fiat, fortè aliquod trahendi desiderium etiam in vesica superesse posset; eodem nempè affluentium humorum vitio vrinam vsq; in vesicam comitante, qua quidem ratione non simpliciter vrinam, sed vt talem vrinam traheret; neq; id mirum videri debet, quando odorem, & saporem eorum quæ bibuntur non raró per Diabetem vrina referat. An veró vt odorem saporemque refert, ita quoque assumpti potus colorem repręsentet, & non mutari potus qualitatem in Diabete quomodo sit intelligendum, paucis disquirendum est: nam si de omni qualitate ac præsertim de colore dictum intelligi debeat, id fortè Diabeti accidere præter eius naturam dixero; cum admodum raró appareat in Diabete color qualis vtique est eorum quæ bibuntur. Imó quó magis ad incrementum ac vigorem morbus properat, eó magis ad aquæ naturam accedere vrina videatur. Nisi enim aliquid aliud accedat quod præter celerem vrinæ exitum Diabeticos vrgeat, raró assumpti potus colorem seruabit vrina. Quo enim in loco, & qua ratione vinum vel rubrum vel nigrum colore per sanitatem spoliatur, ibi & propter eandem rationem spoliari conueniens est per Diabetem. Hoc autem non accidere in ventriculo vel ebriosorum vomitus conuincit; quando vel in crastinum vsq; retentum, quo colore bibitum est, eodem sæpe vomitione reijcitur.

reijcitur. Non ſic vbi ex pyloro excidit; ibi enim chylus ex acido fit ſalſus, & ab ipſa ſalſedinis vi fit ſequeſtratio craſſioris partis cui color inhærebat. Aquea igitur pars quæ exinde cruori miſcetur omni vt plurimum colore deſtituitur; & niſi ob aliquod naturæ erratum, puta, cum ſanguis vel alterius humoris ichor cum vrina permiſceatur, vt per hepatis ac renum imbecillitatem ac per Icteritiam contingit, nullum alium præterea colorem vrina induit, quàm quem à ſeparatione ſtercoraceæ portionis ſortitur, in qua plus minuſuè coloratur prout excrementi conditio tulit. Nec vinoſa, quam vocant, vrina quemquam decipiat; nam non ex vino illa prodit, verum talis quandoq; apparet, licet rarò, nulla ſuſpicione Diabetis. Quod igitur ſcribitur non mutata prorſus qualitate ita accipiendum eſt; vt tam citò ſeparetur ab excrementis quæ vrinæ colorem tribuunt, vt illa nec rubra, nec ruffa, nec flaua nec alterius coloris particeps emingatur, ſed aquæ inſtar profluat. Neq; verò ſeroſitas quæ cum chylo per lactea vaſa nuper à Recentioribus deprehenſa in renes feratur, aliter Diabetem fieri arguit quàm Antiquiores credidere; non enim vt Pecqueto viſum eſt tota chyli materia per ea vaſa relicto iecinore decurrit, ſed vt Thomas Bartolinus Anatomicorum Coryphæus oſtendit; craſſior eius pars in iecur amandatur, vel à iecinore trahitur, quæ cum in Diabete æquè trahatur, vias hu-

cusq; cognitas haud escludere videtur, quamuis palinodiam canat, & Pecqueto assentiens iusta iecinori, quem rediuiuum fecerat, persoluere voluerit, sed Riolani iudicium de hac inconstantia viderit; nam de qualibet re asserere vel negare verum est, non autem asserere & negare, præsertim cum de rebus quæ sensu iudice percipiuntur sermo habeatur. Præterquamquod si vasorum lacteorum tenuitas atq; anastomoses, quæ per puncta vix perceptibilia, fiunt attente considerentur, non minori difficultate serum in renes vsq; percolabitur, quàm si per venæ cauæ ramos in emulgentes corriuetur.

Iam cum viderim Viros in arte celebres Galeni Diabetem cum Diabeticis Aretæi affectionibus, quæ tamen à Galeni Diabete longè distant, nonnumquam confundere; rursus hoc loco monendus mihi venit minus exercitatus lector, in cuius gratiam hanc tractationem institui, ne nominis æquiuocatione decipiatur. Galenus enim cum sæpius viderit, vt probabile est, morbos acutos vrinarum multitudine iudicari, ac non rarò vel in ipsa crisi ob immoderatum morbificæ causæ motum, atque ob summam ægrotantium imbecillitatem ægros ipsos è vita decedere, & contra bis tantum à se visum esse Diabetem scripserit; Diabeti, qualis ab ipso describitur, affectiones ab Aretæo in medium allatas adscribendas non esse, si loqui posset, absq; dubio statueret. Verum nominum penuria factum

est,

est, vt plures sub vno nomine affectiones comprehenderētur;idq; facilè vsus obtinuit,quoniam licet affectiones inter se discrepent, accidens tamen, cuius causæ sæpe ex aduerso pugnant, idem omnino est;vt hinc pateat inter Galenum & Aretęum circa Diabetis originem, causasq; nullum conciliationi locum superesse. Hoc nihilominus haud ignorandum est Diabeticas Aretæi affectiones sæpius medentibus occurrere, quàm Galeni Diabetem, & ab illis nonnumquam ægros cónualescere, quod per Galeni Diabetem vix, ac ne vix quidem contingit.

Iam quoniam Diabetes aliquando inter acutas, nonnumquam inter diuturnas affectiones enumerandus venit, quæret forte aliquis, an eadem causa quę acutam gignit affectionem, diuturnam afferre valeat; & contra quæ diuturnam infert, acutam gignere possit: cui quidem quæstioni non sine distinctione respondendum est; nam quæ cum febre acuta fit, diuturna esse non potest; etenim vbi febris adest acuta, atque illi Diabetes symptomaticè vel per modum perturbatæ crisis adiungitur, diuturnam esse affectionem nec morbus patitur, nec accidentia ipsa permittunt. Qui verò Diabetes à praua humorum affluentium qualitate prodit, diuturnam vel acutam creabit affectionem, prout magis vel minus humores prauitatem induerint. Si enim ad extremam malignitatem peruenerint non

diu

diu poterit natura illorum malitiam tolerare, sed quo semel impetu morbus ægrum adoritur, eodem hominem citò conficiat, necesse erit; tantum autem ad diuturnam affectionem accedet, quantum humores affluentes à malignitate recedent. Cum vero per frigidam humidamque causam, renibus adhuc sanis serositas exundans partim trahitur, partim ad renes expellitur, eiusq; assidua generatio fit, vt per hydropem accidit, non nisi diuturna erit affectio, secus autem si colliquatio à causa calida eueniat; tunc enim siue colliquatio Diabetem præcedat, siue sequatur, acutam inducet affectionem; quod etiam continget vbi renum immoderatè trahentium vitio Diabetes oritur; citò enim serositas omnis exhauritur, viresq; citò collabuntur. Nisi igitur interdum causæ inter se commisceantur, non ab vna eademq; causa modò diuturnus, modò acutus Diábetes expectandus erit; sed ex alijs quidem acutus, ex alijs verò diuturnus prodibit. Sed cum hæc ad prognosim pertineant, ne eadem repetere cogamur, opportunum erit reliqua ad prognosticum spectantia hoc loco prosequi. Diabetes quàm sit sanatu difficilis inde colligi potest, quòd Ludouicus Duretus inter sui temporis Medicos Vir celeberrimus inq; artis operibus exercitatissimus neminem Diabeticum sanari scriptum reliquerit; quod tamen nec de omni Diabetis specie, nec de incipiente dictum esse censendum est.

Diabetes

Diabetes quidem renum malè affectorum causa primitùs inuadens, & cui vis tractrix prauè affecta occasionem tantum dederit, vt Galeni placitis inhærentes arbitrantur, licet nulla arte sanabilis nulloq; auxilio superabilis videatur; attamen non omnino naturâ, sed ex accidenti fit insanabilis: eatenus namq; sanationis incapax Galeno reputatur, quatenus non nisi perfecto iam morbo ab ipso ægrotante, quod sensim ac citra dolorem fiat, dignoscitur; quo nempe tempore breui temporis tractu serositas omnis qua data porta ruit, & renes ipsi affluentem serositatem non amplius retinere valent. Illum quoq; qui per acutas febres ægros corripit deploratæ esse spei certum est, quando nec ipsa febris quæ vel præcedit vel comitatur Diabetem sanabilis est; Si enim ibi sanationis spes aliqua affulget, vbi ægri vires morbo superiores extiterint, quæ superesse spes poterit viribus ex indesinenti vacuatione collabentibus, ac Diabete febris acutæ motum insequente, quæ nullas dat inducias, & non minus perniciter quàm perniciosè sua percurrit tempora? Quod si symptomaticè superueniat, morbi malignitas inde argui potest, in quo non expectata concoctione materia turget ac furit, atque morbi exitum eius naturæ portendit, cuius ab ipso ortu prænuncia signa extitere. Ancipitis conditionis censenda erit affectio, si procedente vlterius morbo, crisis facie se se Diabetes offerat.

Quid

Quid enim tunc Medico agendum erit, cum par impendeat periculum,siue materię motum cohibere studeat, siue naturæ conatum spectator vacuus attendat? & tamen haud negandum est ab immoderata superpurgatione quæ per crisim fiat, atque proximum ægrotanti exitium minetur, ægrum ipsum, licet admodum rarò, aliquando superstitem fuisse: at si Diabetes ex colliquatione à causa calida, quod per febres quasdam malignas contingit, oriatur, non modò curationem non admittit, sed superioribus affectionibus ob id deterior haberi debet, quod in illo præterea colliquatio accesserit. Qui autem sine febre fit, licet cum aliqua colliquatione fiat, cum tamen frigidam atque humidam à principio causam habuerit, & sensim segniusque progrediatur per sua tempora, si diligentem atq; industrium Medicum nactus fuerit, superari atque abigi poterit; quod experientia ostendit in hac Diabetis specie, quæ frequentius accidit, atque hydropi, respectu causæ affinis est. Medium locum tenet Diabetes, quòad spem sanationis, qui ab humorum affluentium vitio initium sumpsit; nam nisi humores omninò praui sint, & morbus vltra principium non valde progressus fuerit, quin salus expectanda sit dubitandum non est. Vltra principium verò progessum esse vrina ipsa præcipuè ostendit,cum iam omnino cruda est,& ad aquę consistentiam accedit. At quicumque curatrices

Diabetis

Diabetis indicationes, non distinctis illius speciebus, à Galenico Diabete eruere conantur, eos non parum decipi necesse est; nam cum non ab vna eademque causa Diabetes perpetuo oriatur, sed modò vnam, modò aliam ὑπαρξιν affectus habeat, non vno, eodemque auxilio contra morbum perpetuò eundum erit. Profectò dubitandum non est quin Aretæus qui multiplices huius affectionis causas adduxit, ad eas quoq; pro illarum discrimine, respexerit, atq; vniuscuiusq; causæ remedia opportuna præscripserit; verùm cum secundus eius liber de curatione diuturnorum morborum mutilatus ad nos peruenerit, eiusq; initium desideretur, in quo de Diabetis curatione verba facienda erant, hunc nobis laborem reliquit; quandoquidem penè omnes qui post Aretæum scripsere ad Galeni tantummodo Diabetem curationem direxisse videantur, vno Aetio excepto, ad cuius manus integer Aretæi liber peruenisse videtur; ex quo nonnulla desumi poterunt quæ in rem præsentem faciant si attentè considerentur. Ab ipsius itaq; Aretæi affectionibus exordienti sese mihi primo loco offert Diabetes quem criticum vocaui: circa quem notandum est Nicolaum Pisonem non bene assequutum esse Aretæi mentem; dum eius ortum ab aliquo renum acuto morbo in renibus firmato, eoque per crisim terminante, præter Aretæi intentionem pendere scripsit. Supra enim ostensum est

non posse tantum serositatis ex renum morbo per crisim prouenire, quantum ad efficiendum Diabetem requiritur; sed à morbo alibi orto qui per crisim, transmissa ad vrinæ vias serositate, in renes impetum fecerit. Dupliciter autem considerari potest affectio hæc, vel quatenus tota, quæ morbum faciebat, materia nulla mala qualitate imbuta confertim per crisim excernitur, vel quatenus aliquod malignum virus latenter in ipsa serositate ex morbo remansit. Si sola serositas ad vrinæ vias, criticè, absque praua qualitate transmittitur, cum id fiat in morbi vigore, & nondum æger ad summam deuenerit imbecillitatem; spes erit transacto fluxionis impetu, ægrum euasurum esse: at discrimen quod impendet, ex illius motus celeritate ac violentia pendet; potissimum si virium imbecillitas adsit. Vitabitur verò manifesta qualitate affluentis humoris emendata; non tamen aliò quàm quò fluere incepit, auersâ: in hoc enim præcipue à Diabete ex alijs causis prodeunte Diabetes hic differt. Qualitas autem cùm acuti morbi materiam sequatur, in excedente calore vt plurimum posita erit: at non alia ratione quàm moderatè refrigerantibus inhibenda veniet, non seruato æqualiter opposito intemperiei gradu; nam excedens frigiditas quæ alioquin excedenti caliditati deberet opponi, naturæ motum sistere facilè posset, in quo ęgri salus reposita est: parti tamen vnde transmissionis

miſſionis initium oritur tutò aliquid applicari poterit exterius, quod immoderatam caliditatem aliqua ex parte coerceat, ne cum eo quod vtiliter expellitur, etiam quod vitæ neceſſarium eſt ſimul excernatur. Quod cum obſeruandum ſit vbi materia in tumoribus contenta ac iam purulenta vacuationem poſtulat; multò magis memoria tenendum erit vbi vtilis quoq; materiæ vnà cum ea, quæ toto genere præter naturam peccabat, effluxus timetur. Quæ verò ſit pars cui exterius proſpiciendum ſit, ex morbis quærenda erit per quos eiuſcemodi criſes fieri ſolent, de quibus iam antea mentio facta eſt; habita ſemper ratione partium, nè proprium robur amittant. Sic vbi pleuritis vel peripneumonia præceſſerint, thoracis regionem oleo roſaceo, violato, nenupharino inungere tutum erit; iecur verò ſi febris ardens, cicoreæ & lactucæ ſucco, potius quàm renes fouere; ne ſcilicet vis illorum tractrix impedita affluentem ſeroſitatem trahere deſinat. Si verò ſeroſitati labes quæpiam venenata iuncta ſit quam per morbos contraxerit, tunc res ægrotantis in accipiti erunt, & vix æger euadet; non tantùm quia cum praua qualitate vires validæ eſſe nequeunt, ſed ob id etiam quoniam in itinere vrinæ vias ac renes præſertim inquinare poteſt, ibique vitium gignere; vnde affectus qui tranſmiſſione tantum conſtabat, attractione demum fieri quoque incipiat; vix autem continget

 hanc

hanc expulſionem criticam cum venenata qualitate iungi, quoniam praua qualitas haud expectato concoctionis tempore, ſymptomatico more naturam ad excretionem ſtimulare ſolet; ex quo quidem motu ipſa praua qualitas innoteſcet. Nulla igitur tunc vel ſaltem non præcipua manifeſtæ qualitatis habita ratione, non omittenda erunt præſidia quæ prauam retundere valeant; in quem quidem vſum nihil theriaca veteri, vel mithridatica antidoto præſtantius excogitari poterit. Ægri interim viribus proſpiciendum erit optimo alimento, quod quidem tutò fieri poterit, ſi motus ad criticum potius quàm ad ſymptomaticum accedat, cum in critico iam præcedentis morbi declinatio inſtet. Ptiſanæ cremor ex iure pulli, ipſaq; pulli caro, vel vitulina contuſa præberi poterunt; ouaq; recentia ſorbilia, tum iuſcula ad gelu redacta, etiamſi ex vino generoſo parata ſint; collabentibus enim viribus vires ipſas tuendi omnibus alijs indicationibus præualet: ſic & odoratis aquis vino maluatico permiſtis, ambra, & moſcho additis, ad recreandos ſpiritus pro odoramento vtendum erit; vt ſi fieri poſſit æger lypothimię ac mortis periculo ſubtrahatur.

Notandum tamen eſt nonnumquam poſt aliquem acutum morbum Diabetem ſubſequi, non quidem in ipſius morbi vigore, neque in declinatione, ſed paucis poſt diebus; qui certè Diabetes

ad

ad criticam motionem referendus non erit; sed noua prorsus erit affectio, atque eò omni alio Diabete deterior quò ex priori morbo delassatum ægrotantem inueniet. Huius exempla Vidus Vidius, ac Victor Trincauellius exhibuere, quæ quidem funesta extiterunt; quando per ea satis patuit naturam non potuisse per antecedentem morbum ab humorum sarcina qua premebatur, exonerari; ineuitabilis verò calamitas est inexpectati morbi insultum præcaueri non posse, nullumq; aduentante iam morbo curationis locum superesse. Ioannem Riolanum qui criticas, & pseudocriticas istas expulsiones nothi, at non veri Diabetis nomine vocari iussit, hîc reclamantem, & nullo pacto per Diabetem criticum accedere sitim statuentem audio. Sed cum affectio hæc per acutos morbos fiat, ac in eorum præsertim vigore, vix absque siti fieri poterit, saltem ob siccitatem quæ ex nimia vacuatione succedit; & Brigidæ Martini exemplo, quæ critico hoc Diabete à pleuritide laborauit, id confirmare possumus, cum valde siticulosa fuerit, ac ex abundanti. Aretæum ipsum Riolano opponam, qui fortè critici potius Diabetis rudimenta vidisse potuit, quàm absolutum Diabetem vt Aretæus; vel de siti Riolanus intelligit quæ ob salsedinem fit, & Galenicum Diabetem præcedit, non autem de illa quæ has Aretæi affectiones subsequitur ratione vacuationis. At Diabetes qui ex colli-
qua-

quatione oritur pro cauſarum diuerſitate diuerſa requirit auxilia; cum enim modò ab ingenti calore, modò à frigida, & humida intemperie proueniat, nunc calidis, nunc verò frigidis remedijs illi occurrendum erit. Rurſus cum intemperies ex qua colliquatio originem ducit, non vnius eiuſdemque partis vitio perpetuo naſcatur; non ſine diſtinctione curatio aggredienda erit. De frigiditate cui comes eſſe conſueuit humiditas primum dicemus; nam Diabetis, qui ex caliditate colliquante prouenit, cum valde ſit affinis affectioni Diabeticæ quam Galenus tradidit, vnà cum illa inſtituetur curatio.

Affectio autem de qua loquimur, multa cum καχεξία atque incipiente hydrope videtur habere communia: quæ cum non ſemper lethales ſint, ſed nonnumquam ſi tempeſtiuè ſubminiſtrentur auxilia remedijs cedant; ſic & vrinæ profluuium hac de cauſa ſuſcitatum ſub docto ac ſedulo artifice quandoque exterminabitur. Affectiones quæ cauſæ adhuc inhærent, & præſeruationem & curationem poſtulant; nam quouſque colliquatio perdurat, fruſtra profluuium ſiſtere conabimur: durabit autem donec partes corporis quarum culpa colliquatio oritur intemperie laborauerint. Vt verò intemperiem facilius emendemus, quæ iam genita eſt ſeroſitas è corpore expellenda eſt; per quas autem vias expelli debeat, non ita facile eſt decernere; cum enim materia huius morbi tam ad hy-

dropem

dropem quàm ad Diabetem inferendum parata sit, vix præcaueri poterit hydrops; nisi valentior vrinę motus qui iam adesse cepit, hydropis metum auferat; & contra nisi compescatur vrinæ cursus Diabetes insanabilis dubio procul euadet: iure igitur hæsitabit Medicus, & quò te vertat haud facilè inueniet. Eadem ratio in tollenda obstructione militat, cum æquè dubium videri possit, an ad aluum, an ad vrinæ vias obstructionis materiam ducere conueniat. Prudentis ergo Medici officium erit naturæ motum attentè considerare, & non tàntùm qua via, sed qua ægri tolerantia serositas effluat; nam licèt affectio reuulsionem requirat, attamen si fluente vrina meliore loco res ægri esse incipiant, non protinus ad aluum ducere oportebit serositatem. Verùm si irrito conatu, & absq; fructu natura moliatur euacuationem, tunc ad aluum ducenda erit. Etenim sic Diabeti resistetur reuulsione, & imminenti prospicietur hydropi vacuatione, & cum nihil obstet quin serositas absq; vlla pręparatione, vtpotè tenuis ac facilè mobilis, commodè educi valeat, hydragogis vel per initia ineunda erit purgatio: ea verò eligenda quæ præterquamquod serositatem vacuandi vim habeant, facultates naturales quoque roborent; in quem quidem vsum, non elaterium, non iridis succus, non esula, non brassica marina, multo minus chamælæa, thymelæa, vel gratiola vtpotè naturæ inimica,

inimica, & quæ cum torminibus prauisq; accidentibus nihil plerumq; quod consideratione dignum sit detrahant, exibenda sunt. Habita ergo virium ratione tutius & commodius Mecciochanna & Zalappa vtendum. His enim medicamentis quibus Antiquitas caruit, & quæ nobis India mittit Occidentalis, nonnullos Diabetica affectione iam correptos, ne in deterius laberentur per plures annos tuto ac placidè præseruauimus. Horum puluis ex vino generoso propinetur, aut eorundem infusio, addito mellis scyllini momento, nè omnino serositati ad vrinæ vias excludatur iter; quod hac ex causa Diabete laborantes, experientia teste, maximè iuuit. Peracta purgatione ad tollendas obstructiones quæ sæpe naturalem calorem opprimendo imbecillum reddidere, & simul ad corrigendam partium intemperiem accedendum est. Harum obstructionum sedes vt plurimum in iecinore, ac citra iecur consistere solet; ac tam per ea quæ interius assumuntur, quàm per ea quę exterius adhibentur debellari poterunt. Interius Dialacca & Diacurcuma primum tenent locum; vtramque enim vim sortita sunt & deobstruendi & calefaciendi iecur; nec ab illarum vsu nos deterrere debet, quòd in earumdem compositione nonnulla admixta sint quę vrinam moueant; vt enim vomitus vomitum curat, sic valdè probabile est educta etiam per vrinæ vias serositate, materiam morbo

subripi,

subripi, præsertim dum eodem tempore egregiè cauetur nè noua serositas gignatur. Interim alternis diebus ad eniemena quæ Medicorum vulgus enemata perperam vocat, recurrendum est, ex decoctione radicum & comarũ ebuli, corticis mediani sambuci, frangulæ, foliorum persici, camęmeli genistæ, & si placet iridis ac brassicæ marinæ; quarum rerum tutior vsus ac minus molestus ex iniectione quàm ex potione esse solet. Quod si potius quàm obstructio, frigida & humida viscerum intemperies negotium facere videatur, ad ea quæ sensim & absque molestia exiccant properandum est; vt sunt ex mineralibus pulueres quidam qui eam vim possident, & superuacaneam humiditatem ebibant atque absorbeant, ipsaque viscera roborent, ne in posterùm tali redundantiæ occasionem præbeant; vt diuturnus vsus antimonij diaphoretici, vel pulueris Petri Poterij Iatrochymici versatissimi, quem croci metallorum appellatione felici euentu in similibus casibus dilaudat, & cuius non semel aut bis, sed sæpius euidenti cum vtilitate ægrotantium, experimentum fecimus. Quod pertinet ad externa præsidia, hæc pro partium prauè affectarum diuersitate applicari debebunt. Cordi ante omnia prospiciendum; nam etiamsi ex aliarum partium vitio colliquatio pendeat, vix fieri poterit quin cordi affectio communicetur; si non potius affectò primum corde, idest eius temperamento

ad

ad frigidum dilabente, ceteræ partes eius inualetudinis participes efficiantur, & à propria temperie vnà cum corde recedant. At quamuis non multum spei malè affecto corde supereſſe queat; præmiſſis tamen electuarijs calefacientibus, vt diamargarito, diambra, de gemmis, alchermes, aqua cinamomi, & alijs quæ cor ipſum veluti de propria læſione commonefaciant; etiam extrinſecus vino maluatico, vel aqua ardenti fruendum erit, eorundem electuariorum ſpeciebus admixtis, ſi fortè retardari poſſit exitium. Ijs quoq; cum certiore ſpe vtendum ſi ventriculus aut iecur in eandem calamitatem inciderint, cordis non adhuc expugnato robore; ventriculum quidem caragna, tachamacha, balſamo, oleiſq; calidis arte chymica elicitis inungendo, nec minus iecinori ſuperdando. Si tamen vniuerſalis viſcerum læſio adfuerit, ac tardiore greſſu morbus Diabeticum perſequatur, de promouendo ſudore, vt Aetius ex Aretęo monet cogitandum erit; nec modus ab illo excogitatus diſplicet; quamuis ſi optio vel commoditas offeratur thermarum calidiorum, quales ſunt noſtræ de Corſena in agro Lucenſi, his potius fidendum. Victus ratio ſic affectis ad ſiccum vergat, & penes primas qualitates ad moderatè calidum, optimæque ſubſtantiæ; nam eius naturæ ſunt, atq; eſſe debent, quæ labantes vires reſtaurent, & laudabiliorem ſanguinem abſq; multa ſe-

roſitate

rositate gignant. Potus sit vinum generosum, non copiosè bibitum, sed nec aqua dilutum. Nostratia enim vina cum potius æquiuocè vina sint, ad multiplicandam in corpore serositatem nata esse videntur. Si quis plura desiderat, authores adeat, qui quomodo cachectici, leucophlegmatici, atque hydropici in principio affectionis curentur ad longum docent; ibi enim prolixius inuenient quæ in rem præsentem faciant. Vnum addam, si alijs minimè iuuantibus in arenam ægri descendant, quasi cum hoste ferocissimo dimicaturi, fortè in hac pugna deuictum videbunt hostem.

Ad Galeni Diabetem accedo; ac de ea primum illius specie pertractabo quæ absq; febre fit. Huius verò affectionis sedem in vasis emulgentibus præcipuè posuimus; quippe inde immoderatæ tractionis initium desumendum esse statuimus, vbi primum trahendi facultas oriri videtur: & cum benè valente animali vasa hæc secundum naturæ institutum serositati trahendæ primo loco dicata sint, ad ea primum spectare censenda erit affectio, dum præter naturam trahunt. Sed quamuis affectio ipsa vasorum emulgentium renumq; propria sit, nihilominus alibi eius causæ quærendæ sunt; ne his neglectis in prædictarum tantummodo partium curatione laborem frustra insumamus: non tamen cum quibusdam Medicis qui ante Galenum scripsere putandum est, ibi Diabetem esse collocandum,

vbi eius causæ deprehenduntur;in hoc enim decepti de sede Diabetis perperam illi senserunt. Cum autem duplex vasorum genus, venæ scilicet & arteriæ in renes ingrediantur, & vnumquodque illorum diuerso ex fonte serositatem trahant, si quis quærat æquali nè vtrorumque ope tractio fiat, an secus; plus ab arterijs in Diabete trahi cum Anatomicis respondebo; cùm maior seri quantitas in arterijs quàm in venis secundum naturam contineatur. Supposita igitur Diabetis causa, vt iam demonstratum est, nempe vt à nimia serositatis salsedine sitis quædam naturalis in ijs vasis excitetur, vnde ad attrahendum præter naturam insurgant, & tam cordis quàm iecinoris terrea atque exusta constitutio sit salsedinis causa, non tantùm venas, sed & ipsas quoq; arterias accusandas esse censeo; nam vt fluuiorum aquæ terræ quam lambunt & alluunt vitia secum manifestè rapiunt, sic de serositate sentiendum est. Prima igitur & præcipua indicatio quæ causam respicit, circa salsedinis remotionem versatur. Sed qua arte remoueri poterit salsedo, cum corde ac iecinore in eandem intemperiem vnde salsedo gignitur, dilabentibus, nulla remaneat in corpore pars quæ salsedinem corrigere valeat? si qua superessent viscera eadem labe non inquinata, haud aliter ac maris aqua per laudabilis terræ viscera pertransiens salsedine spoliatur; sic, vt puto, serositas in hominum

cor-

corporibus salsedine spoliaretur. Nunc quando vniuersum penè corpus in salsuginem vergit, nulla alia ratio superesse videtur, quàm humidi insipidi admistione salsedinis vim retundere; quod fortè in morbi principio, antequam viscerum intemperies habitum contraxerit, consequi poterimus. Nulla igitur interposita mora, vbi quis rudimenta sitis perceperit, & absq; manifesta causa quæ vrinarum transmissioni occasionem dederit, paulò copiosiorem vrinæ prouentum conspexerit; is de prædictarum partium siti naturali, & per consequens de tractricis facultatis irritatione timere debebit, & non expectatis sæuissimi morbi vlterioribus indicijs sibi prospicere. Iam cum recentiores Medici affectionis huius curationem ex Aetio potissimùm desumpsisse videantur, qui Galeni Diabetem cum Aretæi Diabeticis affectionibus confundit, & ideo non pauca sibi ipsi aduersantia, atque inter se pugnantia scripsit, (in quod quidem vitium illi facilè incurrunt, quorum institutum est aliorum dicta colligere & in propria commentaria redigere) non sine distinctione quæ ille in medium affert, accipienda erunt. Diabetem qualis à Galeno describitur à principio capitis Aetius quidem affert; sed progressu sermonis sensim ad Aretæi sensum curationem maxima ex parte instituit. Distinguendum itaque illi fuerat inter Diabetem & Diabetem, non tantùm quia Galeni Diabetes interdum

dum ſine febre fit, qua ratione inter diuturnas affectiones reponi debet, ac nonnumquam non ſine febre, vnde tunc inter acutas connumerandus venit; ſed etiam quia pro diuerſitate cauſarum ex quibus vel ipſius Aretæi Diabetes oritur, diuerſa curandi ratio inſtituenda erat; nam ſi vt à principio Aetius ſtatuit, Diabetes ſit diuturna affectio, quomodo curari debebit veluti febris æſtuans, quam Græci Cauſon appellant? ſi verò cum febre fiat, ac tunc curari debeat æſtuantis febris more, quis in tali Diabete vinum præbere vnquam audebit? Si Diabetes vitio renum fiat, & Paulo & Alexandro authoribus qui ad Galeni mentem loquuti eſſe creduntur, caliditas earum partium origo ſit, vel comes Diabeticæ affectionis, quomodo ſudoris prouocatio quam ab Aretæo accepit, Diabeti Galenico conueniet? Diabeticum in dolium includunt ad excipiendam euaporationem, ita tamen vt caput extra dolium ſuperemineat ad frigidiorem auram captandam, reliquum verò corpus totum calefiat; nonnè renes hoc remedij genere magis magiſque incaleſcent, & morbi cauſa contumacior euadet? gloriatur quidem, Donatus ab Altomari ſe duos Diabeticos calidiorũ thermarum vaporibus elicito ſudore ſanaſſe: at ſi de Galeni Diabete id credi voluit, credat qui vult;ex colliquatione ex cauſa frigida & humida cepiſſe illos laborare Diabete crediderim; ſed Diabete qualis

à Galeno

à Galeno supponitur correptos fuisse non credam. Ab Aretæo desumptum est remedium, qui de Diabete pertractans nusquam de renum læsione mentionem fecit, & longè aliam à Galenica affectionem, Diabetis appellatione designari voluit; cui quidem confitemur conuenire posse antepositam eliciendi sudoris rationem. Duo supersunt examinanda quæ Aetius ex Archigene in medium adducit, quæ cum ex ipsius Archigenis sententia in morbi tantùm principio conueniant, ab his curationem Diabetis ordiemur. Interim Galeni morem hoc loco reprehendere aliquis haud iniuriâ posset; si tamen quia id ex consuetudine facit, ideò peccare minus crediderit. Solet enim vbi vel leuiter antiquiores Medici aberrauerint, acriter in illos inuehi; sin autem aliquid ad rem appositè scripserint, sententiam quidem recipere, nomini verò illorum parcere; vt solus videri possit qui vera atq; vtilia scripserit. Antiquiores ergo reprehendit qui aliarum partium quàm renum vitio oriri Diabetem existimarunt; de Archigene verò qui ante Galenum ex vitiosis humoribus in renibus impactis oriri nonnumquam Diabetem tradidit, ne verbum quidem facere dignatus est. Atq; Archigenes quidem si non expressè, at saltem implicitè Diabetem dupliciter fieri voluit; & à vitiosis humoribus in renibus impactis, & ab eorundem exardescentia absq; prauitate. Quamobrem vtrique affectioni respe-

ctiuè

ctiuè prospiciens cubiti venam in morbi principio secari iubet, atq; vrinam mediocriter cientibus vitiosos humores à renibus expurgare; Ac licèt aliæ sint in eodem morbo curatrices indicationes, vt renum intemperiem corrigere, sanguinisque ac serositatis motum compescere; attamen quoniam prædictæ ceù præseruatiuæ & causam respicientes in morbi principio conueniunt, primo loco prout ab Archigene propositæ sunt, in disquisitionem venient. Quod itaque spectat ad venæ sectionem, ea licet in ipsius morbi principio, vt Archigenes iubet fieri debeat, non tamen sine præmeditatione instituenda est. Quippe cum sæpius sola serositas ad vrinæ vias trahi videatur, nulla sanguinis redundantia peccante, non ob sanguinis vitium sanguis mittendus esse videtur. Non etiam quia ex sanguinis missione totum corpus refrigeratur, ideò mittendus est; nam præterquamquod missio sanguinis quæ sola refrigerandi intentione adhibetur, nisi ad animi vsque deliquium exerceatur, indicationi non satisfacit: ipse quoque Archigenes moderatè mittendum esse consulit addita etiam causa, quoniam in Diabete ob iugem copiosamque vacuationem citò vires collabuntur. Attamen si Diabetici corpus plethoricum sit ac præsertim si affectio vnà cum febre inuadat, à moderata sanguinis missione supersedendum non erit. Imò maiori cum spe atq; vtilitate ad mittendum sanguinem

nem nos accedemus qui tractionis causam originemq; maiori ex parte in vasis emulgentibus collocauimus, quàm qui solos renes in Diabete affectos esse voluerunt; non enim solius serositatis ratio habenda est vbi cum serositate sanguis vnà efferuescit, sed & ad ipsum sanguinem in ijsdem vasis exardescentem respiciendum est: at tunc præter vacuationem qua morbificæ causæ portio demitur, eodem tempore reuulsioni operam dabimus; duplici ratione ęgri rebus in ancipiti positis occurrẽtes, & renes ab imminenti inflammationis periculo præseruantes. Si verò solius serositatis tractio fiat, & febris absit, ac paulò vlterius ob ægri negligentiam morbus progressus fuerit; tutius erit hac indicatione prætermissa ad alias, de quibus infrà dicetur, accedere; nunc enim de mediocriter vrinam cientibus in eodem morbi principio, quod erat alterum ex Archigenis monitis, dicendum. Eius igitur institutum erat hoc auxilij genere renes à vitiosis humoribus expurgare: circa huiusmodi autem expurgationem duo mihi disquisitione digna occurrunt; quorum alterum est, an per ea quæ mediocriter vrinam ducunt renes probè repurgari valeant: alterum an præter hanc expurgandi rationem ab Archigene propositam, ea quæ medicamento purgante fit, in Diabete conueniat. Quod ad primam pertinet si de mediocriter ducentibus vrinam nulla insigni quali-

tate imbutis intelligamus, repurgatio lata quadam significatione vsurpabitur; erit enim potius ablutio quædam qua bilis feruor attemperetur vel salsi excrementi rabies demulceatur; atque hæc nobis qui humorum salsedinem Diabetis esse causam existimamus, tuta erit ac facilis; siquidem humore aqueo & insipido dulcescere salem experientia ipsa docet, ac sitim ob eandem rationem aliqua ex parte mitescere; in quem quidèm vsum vrinæ multiplicatio procuranda erit, non quidem per diuretica, quę nimium huic affectioni inimica sunt, sed per ea quę cum aquea sint, & serositati gignendæ vel multiplicandæ accommodata salsedinis vim obtundere queunt. Sunt qui pro hac adimplenda Archigenis indicatione ad thermales aquas bibendas accedere ægros iubeant. Verùm nisi quis aquæ sponte nascentis, quæ in hunc vsum proponitur naturam exactè cognouerit, non video quomodo ægrotantibus recta dare consilia possit; cum relicta ratione confugere illum ad experientiam necessarium sit: quicumq; autem thermales aquas hoc in casu laudant, medium quid inter repurgationem, quę iam descripta est nempe per simplicem aquam & eam quę medicamento purgante fit, eligere videntur; cum non ablutionem & refrigerationem tantùm, nec expurgationem, quę medicamento purgante perficitur, amplectantur; sed extergendo atq; incidendo, hanc fieri velint. Plu-

rimæ

rimæ verò reperiuntur ex his aquis quæ bibitæ ad vrinæ vias properant, quas vbi de Galeni Diabete sermo fit ab vsu reijciendas esse existimo, eò quia calchanthi qualitates naturamq; vt plurimùm redolent. Non me latet Vidum Vidium Villenses in agro nostro Lucensi scaturientes in Diabete dilaudasse, tanquam ex ferri minera prodeuntes, vt antiquiores Medici omnes opinati sunt. Sed paulò ante nostra tempora Ioannis Baptistæ Donati Medici inter vrbis nostræ præstantissimos doctissimi, atque versatissimi industriâ, experimento habito, & inspecta interius per chymicas operationes illarum natura, deprehensæ sunt sale gemmeo, nitro, & rubrica sinopica imbutæ; vnde constat priscos illos medentes in fide parentum deceptos aliter ac se res habeat de his aquis sensisse. Attamen haud præter rem pro iecinore renibusque refrigerandis, extergendis, atque firmandis in vsum non minus ac si ex ferri minera scaturirent, ingenti cum vtilitate quotidie assumuntur; ita vt etiam per initia Diabetis admitti quadantenus possint; quamuis, me iudice, tutius fuerit ablutioni humorum incumbere tantùm, atque ex censu plantarum refrigerantium atque humectantium elicitis vti, thermalibus verò ad Diabetis potius præseruationem quàm morbo iam facto ad curationem. Vbi autem prædictæ indicationi locus detur, præstabit vti aquis destillatis ex cymbalaria, portulaca, gra-

mine, soncho, violis, seminibus vesicariæ & similibus, quæ serositatem nulla diuretica facultate operante multiplicant, & salsedini quatenus refrigerant & humectant, resistere valent. Alterum erat an in Diabete medicamento purgante vtendum sit, aliquando enim Diabetes fit humorum peccantium vitio, qui præterfluentes renum vasorumq; emulgentium vim tractricem irritant; aliquando autem in ipsis renibus impacti sunt: præterea vel Diabete incipiente, vel iam vlterius eunte Medicus aduocatur, & sic vel vires constant vel iam deiectæ sunt; nec minus medicamenti materia examinanda, cuius ope purgatio ineunda est; si humores vel biliosi vel salsi in reliquo corpore & non in renibus peccent, absque dubio in Diabete purgandi sunt; nam frustra laboraremus affluentibus adhuc ad renes prauis humoribus: at si in renibus impacti sint cautè admodum ad expurgationem accedendum erit; & Ludouici Mercati consilium amplectendum erit, qui primo de indicationibus hęc habet; *In Diabetica passione tutissimum est consilium rarò vti expurgantibus medicamentis, nè iecore ac renibus excalefactis intentius sitiat laborans & plus potet, & vberiorem fluxionem concitet; lenientia verò medicamenta sæpius exhibere longè est vtilius.* Præter hæc cum non nisi per ea quæ vrinam mouent renes expurgari queant, metus erit ne plus detrimenti ex incalescentia quàm emolumenti expurgatione

gatione succedat. At quoniam non sine harum partium expurgatione affectio remoueri potest, habita virium ratione, & morbi natura sic iubēte, post retusam ac frenatam bilem si hæc negotium faciat, vel præmissis quæ salsedinem humorem aliqua ex parte cohibeant, ad ea demum accedendum erit, quæ substantiæ potius familiaritate quàm valida expurgandi vi humores vitiosos ab illis sedibus exturbare valeant. Rhabarbari dilutum ex vino albo tenui, vel ex prædictis aquis præscribi poterit; & cassiæ pulpa quæ medium locum inter purgantia ac lenientia retinere videtur; quippe cuius vis ad renes vsque extendatur, vt ostendit vrinæ color ab illius vsu mutatus. Syrupus quoq; ex rosis solutiuus conuenit, si modica quantitate assumatur; alioqui si paulò liberalius ingeratur, inter valida purgantia numerandus venit, vt Ludouico Septalio de cautionibus medicis visum est; & certè non minus siticulosos ægros reddere solet, quàm à valentioribus expurgantibus contingat, quod in Diabete apprimè vitandum est. Lenientia verò quod attinet ea ex cassia, manna, tamarindorum pulpa, passulis, prunisq; dulcibus, ac liquiritia constant, atq; ex his electuaria componuntur sępius assumenda; quæ tamen quòd omnibus nota sint, libens omitto. His in hunc modum à principio dispositis, de refrigeratione partium affectarum ex quarum calore ac siccitate salsedo sitisq; pendent, cogitandū erit,

tam

tam per ea quæ exterius adhibentur, quam per illa quę interius assumuntur. Ac viscerũ quidem feruorem, eorum præsertim quorum culpa sitis exoritur frigidis quoq; exterius appositis sedari posse non dubitamus; imò naturali calore sub extranea caliditate languente per exterius applicita, quàm per ea quæ ore assumuntur, refrigeratio in Diabete tutius procurabitur. Cordis igitur atq; hepatis regioni ex decoctione vel etiam ex succis herbarum quæ vim refrigerandi atq; humectandi habeant, fotus adhibendi sunt. Quòd si non in his tantùm sedibus mali labes, sed in toto corpore pedes fixerit; in dulcis aquæ solium Diabeticos mergere opportunum erit, in quo maluæ & violarum folia, papauera, nymphææ flores & similia incoxerint. Et nè cõtracta per balneum humiditas citò deperdatur, oleo mox à balneo corpus totum inungere expediet. Vtendi verò modum, Diabetici vires, morbi status, ætas, atq; anni tempus decernent. Et quò minus prauis humoribus ægri corpus scatere videbitur, eò audacior circa balnei vsum Medicus esse debebit. Quamquam si vires constabunt, in morbo qui adeò peruicax est vt rarò medicis auxilijs auscultet, etiam corpora paulò impuriora, haud aliter ac per febres putridas vbi ex propinquo hecticam minentur, in balneum ducere vtile erit: idque duplici fortasse compendio; nam si à balneo vomitus succedat, quod aliquando biliosis humoribus

ribus exundantibus succedere solet, non tantùm refrigeratio corpori conciliabitur, sed ex vomitu reuulsionem habebimus, cuius non parua in hac morbi specie vtilitas esse consueuit. Eodem itaque tempore quo prædictis indicationibus satisfacere studemus, scilicet sitis ac salsedinis caussas abigendo, non minori studio ac diligentia reuulsioni incumbendum erit. Verùm cum per sanguinis missionem, vbi morbi principium pertransierit, administrari reuulsio amplius nequeat, & sudoris prouocatio alijs Diabetis speciebus conueniat, non verò huic de cuius curatione nunc agimus; vnicum tantùm superesse videtur auxilium, nempè ab vrinæ vijs ad aluum serositatem auocare: at quoniam serositatis ab vrinæ vijs auersio vix sine purgante medicamento fieri valet, & in hoc morbo, vt dictum est, purgatio parum tuta est: attamen ratione reuulsionis locum aliquem hîc habere posse censeo; cum aliquando prodesse visa sit, vt experientia cognoui. Meminisse tamen interim oportet de natura reuulsionis esse vt non semel aut bis, sed sæpius ac frequenter ad oppositas vel longinquas partes materia trahatur, vt quò illam trahere volumus eò sensim affluere assuescat: at cum non liceat frequenter vti medicamento generoso, valentiora vitanda erunt, vel in parua quantitate exhibenda, & lenientibus permiscenda; sit exemplum zalappæ semidrachma,

ma, vel paulò plus electuario lenitiuo permista, aut simile quidpiam per interualla exhibitum. Effrænem verò vrinæ mictum si per reuulsionem compescere, vel retardare non liceat, idem Aetius monet, vt ad ea deueniamus, quæ siuè incrassando, siuè refrigerando, ac proprietate quadam stupefaciendi humores, illorum impetum cohibeant, ac sistant. Sed quid sperandum ab hoc auxilij genere non video; imò si Diabetici, vel punctum temporis à potu, ac mictu inhibeantur, vt Aretęus monet, cui non reluctatur experientia, ingrauescentibus accidentibus haud multò post mortem obeunt. Quare suspectum videri posset auxilium, atque eo minùs conuenire, si quę sub finem capitis de Diabete Aretæus scripsit attendenda essent; Quæ tamen de commorsis à Dipsade Aretæus intelligi voluit, non de Diabeticis; si enim referenda essent ad Diabeticos, paucis lineis interiectis Aretæus eadem repeteret; quod eius breuiloquentiæ repugnat, prætęrquàmquod verba Aetij ab Aretęo desumpta, *si non mingant*, ineptè ad Diabeticos referantur; Si enim non mingant, quomodo Diabetici? Duplici tamen ratione fieri potest, vt ad sistendam fluxionem, atque ad stupefaciendum aliquando Medicus in Diabete accedat, videlicet, vbi nimiùm vigiliæ vrgeant, vndè vires collabuntur; vel si affectio cum dolore fiat, quod tamen per Galeni Diabetem rarò accidisse conspexi, opio

tunc

tunc vtendum, nullis prætereà calefacientibus admistis, vt in Philonijs, ac Triphera magna; sed vt Aetius, & ex Paracelso Libauius in annotationibus aduersus Michelium, simplici, vt Aetius laudat, vel cum vino maluatico extracto, vt ex Paracelso Libauius aduersus Michelium. Admiscent aliqui tam purgantibus & lenientibus, quàm electuarijs quæ aduersus Diabetem præscribunt, etiam nonnulla quæ adstringendi vi pollent, putantes nimirum vasa per quæ fluit vrina arte hac roborari posse. Quod quidem in aliqua Diabetis specie conuenire non inficiamur: at vbi vis tractrix vrgere, ac veluti furere videtur, tantum abest vt adstringentia conferre queant, quin potius obesse deprehendantur: donec enim immoderata perdurat serositatis attractio, frustra retentricem roborare studebimus; eò quia attractæ serositatis pondere grauata tantundem effundere cogetur, quantum tractrix suppeditabit. Vsus itaque adstringentium ibi conueniet vbi viscera humiditate scatent, & colliquationem ea de causa portendunt. Præterea inter adstringentia quæ magis terrea sunt humorem non tantum ebibunt atque exugunt, sed etiam exprimunt: ac tunc quod exprimitur ad renes conuertitur, & inde vrinæ quantitas augetur. Vbi igitur glandes, castaneas, suberis corticem & similia, quibus ad arenulas calculosq; exturbandos vtimur, Diabeticis propinamus, non sine vberiore

riore serositatis prouentu hæc fieri putare debemus. Laxare ergo potius vasa conuenit vt rectarum fibrarum per quas attractio fit, robur exoluatur, quàm adstringentibus vti; eorumque vice dulcis aquæ balneo siccitati occurrere. Hùc certè referenda sunt quæ Auicenna tradidit, & de Rege Neapolitanorum Alphonso Ioannes Patulus refert, ex vsu nimio scilicet malorum cydoniorum Diabetem aliquando ortum esse: nisi potius putandum sit verba illa, *ex vsu*, sic accipienda esse vt, *post vsum*, intelligantur, non vt ad causam necessario referantur; aliud enim est hoc fieri ex hoc, aliud fieri post hoc: profectò si ex ista causa Diabetes aliquando sit ortus, nemo non suspicabitur in Galeni Diabete suspecta esse, quæ vim adstringendi possident; licèt enim vnà cum deprauatione tractricis facultatis, imbecillitas adsit retentricis, quæ per se sola ab adstringentium vsu medicinam sentire posset hîc inutiliter adhibetur, vt dictum est. Quod si cum leui adstrictione refrigerandi vis copulata sit, cum maius emolumentum à refrigeratione expectari queat, quàm à leui illa adstrictione nocumentum; non ideo quæ modicè adstringunt proscribenda erunt, vt conserua rosarum, ribes, fraga item & si quæ alia qualitate hac imbuta sint. Sed hæc iam ad ciborum qualitatem pertinent, qui prçter id quod refrigerent, incrassare etiam debent, vt mox dicetur. Sint igitur ele-

electuaria ex refrigerantibus; siquidem salsedo soboles caloris est; & iecur vasaq; ipsa emulgentia per hanc affectionem incalescunt; vnde vel pituitosis humoribus atque excrementis ne dum calidioribus salsedinem contactu conciliant. Talia vbique scripta reperiuntur, vbi calida iecoris intemperies curanda proponitur. At si affectio hæc aliquando cedere visa est, non tam medicamentorum ope, quàm accommodata victus ratione id contigit; de qua nunc pauca mihi dicenda supersunt, quatenus cibum ac potum respiciunt: nam reliqua quæ pertinent ad res quas non naturales appellant, vbique passim descripta sunt, & quoniam Diabetes siticulosa affectio est, ac potum in primis Diabetici appetunt, de potu primum dicemus. Huius porrò quantitas ac qualitas decernenda est, ne cum de aliqua tantum Diabetis specie loquentes authores percurrimus, de omni intellexisse illos putemus, dum victus rationem præscribunt. Doctissimus Platerus cibo ac potu parce vtendum esse in Diabete scribit, & saltem quantum ad vires sustentandas sufficiat. Sed cum de summa siti mentionem faciat, frustra parcè bibendum esse monere videtur. Liceat mihi Aretæum imitari, qui de copiosa Diabeticorum mictione sermonem habens sic inquit. *Mictum verò quæ ratio suppresserit, aut quæ verecundia dolore potentior?* Sic ego de potu inquam; sed quis Diabeticus per

intolerandam sitim suaderi vnquam poterit vt parcè bibat? Et verò si Platerus ad nimiam serositatis generationem respexit, vt in colliquatione à causa frigida & humida contingit, rectè victus rationem præscripsisse videtur; nè scilicet adaucta causa affectio reddatur prorsus insanabilis, vel in cachexiam aut hydropem æger incidat. Quoniam igitur fieri nequit vt qui impotenter sitiunt à potu abstineant, permittendum illis est vt paulò abundantius bibant; eòque magis quò siticulosa hæc affectio non à qualibet serositate, vt dictum est, prouenit; sed ab ea quæ ex praua partium dispositione ad salsedinem renibus ac vasis emulgentibus suppeditatur. Contra quæ ex opportuno potu resultat, mirum in modum salsedinem diluendo Diabeticis conferre queat. Non tamen in morbi progressu vt in principio ea in potu eligenda dixerim quæ serositatem, vt superius dictum est, multiplicant. Verùm satis erit si potus fit ex moderatè frigidis, vt sunt aquæ ex borragine, buglossa, pimpinella hortensi, plantagine, alijsq; similibus elicitæ; & si febris adsit etiam ex fonte deprompta, atque actu frigida, tum verò maximè si æger aquæ potui sit assuetus. Poterunt quoque his admisceri quæ vim caloris temperent, sitimq; arceant, vt moderata pulpę tamarindorum quantitas, aliorumque prunorum & cerasorum acidodulcium, & glycirrhizzæ momentum. Nec omittendæ

tendæ sunt aquæ ex quorundam animalium carne destillatę quę refrigerandi, incrassandi,& quodammodo sistendi vi polleant; vt quæ ex Ranis, Herinaceo terrestri, nec non ex cancris fluuialibus destillantur, addito hordeo decorticato, ac prædictarum herbarum folijs; non tantùm vt inde maior aquæ quantitas commodius eliciatur, sed vt sit minus ingrata bibentibus: quod si diuturna sit affectio, ægerq; à febre immunis aut saltem moderatè febricitet, vino interdici minimè debebit. nigrum illud & subausterum sit, consistentia crassiusculum, frigida amplius dilutum ad salsuginosorum humorum,vt ait Aetius,prolutionem qui sitim inducunt; vinum enim vt idem optimè scripsit corporis miscellam ad dulcorem permutat; ac nihil melius ac citius vires recreat, quæ citò per hunc morbum vacillant. Si verò febris adsit acuta & vino vti non liceat; cibis optimi succi, atque ea quantitate quæ ægri viribus & morbo sit par, vires ipsę reparandę sunt: præstat verò inter cętera ea eligere quæ nonnihil crassi & glutinosi contineant, minimum verò serositatis. Sic caseus recens ac citra salem compactus conuenit; & lac ipsum serositate per silices ignitos, vel per chalybis frustula ademptâ. Conueniunt oua sorbilia, oriza, porcellorum iuuenum carnes, eorumque partes extremæ, cerebella item, & ea omnia, ex quibus diximus destillatione aquas esse parandas, iuscula

pinguia,

pinguia; atque vt vno verbo dicam quæ torrido marasmo laborantibus exhibere solemus ; cui quidem affectioni Galeni Diabetes vbi confirmatus fuerit, affinis esse consueuit. At si præceps & acutus fuerit morbus, qua artè tam remedia quàm victus ratio præscribenda sint vt inuenias laborandum tibi non erit. Nulla enim vnda talem sitim sedare potest, quæ ad lethæas ocyssimè ægrotantem deducit.

FINIS.

SEBAST. PISSINII
Lucensis Med. atq; Patritij
EPISTOLA
DE POLYPO
CORDIS.



CAROLO ANDRIANO

Medico, atq; Phil. præſt.^mo

SEBAST. PISSINIVS

S.



OLYPOS in cordis finibus enatos, atq; ibi ab Anatomicis repertos, vbi noſtra Ciuitas audiuit, horruit illicò,atq; admirata eſt. Tu tamen ſcis, CAROLE optime,nulla nos admiratione correptos fuiſſe, immo quæſtiones ac problemata,quæ circa hanc rem fuere excitata, rationibus medicis ac philoſophicis diluiſſe; quæ omnia cum poſtulaſſes vt non voce tantum, ſed & calamo in minus peritorum gratiam repeterem; ecce nunc breuiter, quantum quidem noſtræ permittunt occupationes, ſatisfacio. Si res, non rerum nomina, vt par eſt, attendantur, horroris atque admirationis cauſa protinus ceſſabit.

Polypus enim de quo nobis ſermo eſt, non animal eſt, nec monſtrum illud ingens è genere Polyporum, de quo Trebius Niger apud Plinium quinto Naturalis hiſtorię mentionem facit; immo nec pars corporis ex ſe viuens, ſed pituitæ vel ſarcomatis ſpecies, & à figura quam refert Polypi piſcis ſic appellatus: eandem dixeris figuram, eandemque ſubſtantiam ſi illum inſpicias; interdum molliuſculus & albicans, ac non rarò carneus ac duriuſculus, & quandoque cute intectus, ac filamentis quibuſdam quaſi pedibus præditus; quibus cauitatum parietibus vbi inhæſerit, ſæpe tenaciſſime affigitur; non enim pedibus ſemper mutilatus inuenitur, quod de Polypo piſce Oppianus ſcripſit. An incrementum capiat ab interno principio, vel adiectione impurioris alimenti decernere nunc non eſt animus; vbi tamen radices egit haud aliter ac ſarcoma augeſcere, ſuiſque flagellis humores ſibi proximos veluti exſorbere conſueuit. Morbus naſo familiaris eſt, vnde propendens ligatur ac vi extrahitur, aut ſepticis abſumitur, vel quod Polypo piſci accidit, ſponte tandem tabeſcit. Nec mirum videatur ſi cute ſępius obtegitur, cum ipſius pituitæ ſuperficies caloris ope indurata in quandam cutis ſpeciem tranſeat; vbi enim ſicca aut humida miſcella coaleſcit, vltimum ſemper cutis membranæuè ſpeciem recipit; vt Ariſt. 4. *de part. animal. cap.* 3. ſcripſit, & nos aliquando ſpectaui-

mus

mus in ea molæ ſpecie, quæ in vtero mulieris abſq; viri congreſſu coaleſcit. Hanc igitur pituitam in cordis quoque ventriculis coaceruari non eſt ἀδύνατον; ſiquidem adeſt ibi cauitas in qua colligatur,& calor qui ſuperficiem exiccare valeat: adhęreſcere vero ventriculorum tunicis pituitæ viſcidę familiare eſt; quod præter Polypos in naſo naſcentes, pulmones coſtis per eandem alligati ſæpe ſæpius per diſſectiones oſtendunt. Frigidos vero ac pituitoſos humores in calidiſſimo viſcere aliquando reperiri docet Galenus *in libris de præſagitione ex pulſ.* vt infra aperiam; & Nos in tractatu noſtro de cordis palpitatione moderati pulſus hanc corporis cordis & humorum conditionem cauſam eſſe cum Galeno oſtendimus; celeritatem, cordis calore afferre conante, frigiditate autem tarditatem moliente. Pituitoſam igitur vel carneam hanc excreſcentiam nemo in artis operibus verſatus aliquando non vidit; qui in alijs partibus,naſo excepto, Polypum vocauerit, mihi adhuc non innotuit: audio tamen ex Recentioribus quendam haud infimæ ſortis Medicum ſic appellaſſe. Dicam ſummatim, Res noua non eſt, nomen vero nouum, duplici ſumpta metaphora & à piſce Polypo, & à Polypo qui naſo innaſcitur; licet Hippocratis Polypi ſi quintum excipias, vno tantum pede conſtare videantur, ac ſarcomatis potius quàm Polypi ſpecies eſſe; vnde etiam ſi cirrhis pedibuſuè in

corde quandoque careant, Polypi tamen Hippocratis exemplo ob ſubſtantię potius, quàm ob figuræ ſimilitudinem appellari poſſunt. Apud Schenchium plures extant huius rei obſeruationes, & nos ipſi ſuperioribus annis Polypum (ſic enim poſt hac appellare placet) in cordis ſiniſtro ventriculo, & carneas molas ſpectauimus; vt in noſtris obſeruationibus adnotauimus hac verborum ſerie. *Antonius Beniuenius in ſuo libello de abditis morborum cauſis mulierem nomine & genere Claram in medium affert, cordis dolore diu vexatam, cui nigrioris carnis fruſtulum in ſiniſtro cordis ventriculo ſuper arteriam demortuæ corpore inciſo inuentum fuit.* Hæc Beniuenius. Nos mulierem alteram vidimus & nomine & genere ſimiliter Claram (*Clara Spada*), quæ cum leui, vt videbatur, febre correpta decumberet, Medicos qui curationi præeſſent aduocauit. Sed cum neque in carpo, neque circa tempora, neque in alia quauis corporis parte micarent arteriæ; ſed tantùm manu ſiniſtræ thoracis parti admota, ſubobſcurus quidam cordis motus appareret; de eius ſalute actum eſſe pronunciauimus; & morbi cauſam, haud aliter ac ſi oculis ipſis illam intueremur, ſtatim iudicauimus: huius enim ablati motus in ipſo corde cauſam exiſtere certum erat; cum arteriæ omnes motu priuari nequeant, niſi obſtructo penitus principio vnde vis pulſatilis in omnes dimanat. Ἀσφυξία itaque laborans, anxia, triſtis,

& ſuſpi-

& ſuſpirioſa ad quadrageſimum diem & vltra ſuperuixit. Huic in ſiniſtro æquè ac in dextro cordis ſinu carnis fruſtula in placentulæ morem compreſſa reperta ſunt, quæ totam fere ventriculorum capacitatem oppleuerant; vnde nihil mirum ſi attolli valentius ac ſubſidere arteriarum tunicæ non valuerunt. Ventriculorum parietibus non adhęreſcebant, ſed illorum cauitatem vt dictum eſt, pene obturauerant. Sanguinem natura craſſum, melancholicum, pituitoſum ac viſcidũ in cordis ſinus longe antea effuſum, in hanc carneę molis ſpeciem abijſſe paulatim neceſſarium fuit; ſubtiliore parte in halitum abſumpta, & craſſiore nulla arte inde exturbanda ibi relicta: quæ vbi concreuit, & cordis obſtitit motui, & ipſum denique vitæ principium oppreſſit, ipſam cordis ſubſtantiam vitiato quoque temperamento oblædens. Alteri vero mulieri (*Philippa à Porticu*) ex maligna febre decedenti per quatriduum & ampliùs ante obitum valentior cordis palpitatio ſuperuenit; qua diſſecta viſcidam in ſiniſtro cordis ventriculo pituitam, loliginem figura ac ſubſtantia prorſus referentem inuenimus; ſed quæ nondum eius ventriculi tunicis ſe ſe affixerat, licet maxima ex parte illum occuparet. Ex his itaque obſeruationibus pituitam, craſſoſq; humores in cordis ſinibus coaceruari, ac reperiri nonnumquam apparet; qui ſi non adhuc in Polypum euaſerint, proxima

tamen ac naturalis illius causa existimari debent.

Iam si quęras, an viuente homine enatos in corde Polypos deprehendere Medici possint; an breui temporis spatio, vel paulatim & plurium dierum curriculo pituitosa hæc colluuies in Polypum degeneret; an febre prius correptos esse oporteat quibus Polypi innascuntur, vel etiam citra febrem in corde oriantur; an soli mortem inferre valeant, & quanto tempore viuente homine in corde immorari queant; ac demum qua ratione quibusuè auxilijs tanto malo sit occurrendum, nunc respondebo; hac tamen lege ne me, si non Oedipus ero, laceres atque vnguibus discerpas; sic enim à nulla detentus Echeneide, vel à Torpedine tactus ad vlteriorem Polypi disquisitionem alacrior pergam. A solerti itaq; Medico, ac Sphygmicæ artis perito, deficientibus alijs indicijs, quibus affines morbi dignosci solent, deprehendi posse autumo: pulsus enim paruus, rarus, tardus, adde si placet, & inæqualis, cum cordis angustia, tremore ac palpitatione, ac difficili respiratione; tum maxime si pulmonum morbus aliquis præcesserit, ægerque pituitam coaceruare solitus fuerit, non leuem eius rei suspicionem dabunt. Vt enim oppositi temperamenti ratione pituitosi humores in corde calido absque ista concretione moderatos pulsus efficiebant; sic coalescens iam pituita, atque contumaciorem obstructionem pariens, & ventriculorum

lorum cordis parietes contrahens & coarctans, arteriarum initium libere extendi ac pulsare non finit: vnde pulsus talis reddatur oportet, qualem modo descripsi. Hæc vero indicia quæ sinistrum cordis ventriculum male affectum esse ostendunt, dextri affectionem fortasse non adeò perspicuè demonstrabunt; cum nonnumquam Polypus ibi repertus sit vbi pulsus violentis motibus celeribusque agitabatur. Verùm hæc prædixisse ad artis ostentationem potius, quàm ad ægri commodum pertinere videntur. Quæ sequuntur problemata aliquem præstabunt vsum; nam si breui temporis spatio Polypus gignitur, frustra de remedijs solliciti erimus, contra vero si diuturno. Pituitam igitur crassam ac viscidam in cordis finibus concrescere posse breui temporis spatio haud inficior; vt enim misso sanguine paucas post horas in superficie vasculorum sanguis ipse coagulari animaduertitur, sic extincto calore in cordis finibus moriente animali coire statim atque concrescere potest; at verò pedes cordis parietibus infigere, crustamque, aut membranam sibi comparare longioris temporis opus esse contendo. Crustam autem vel membranam qua Polypi integi consueuerunt, facilius per febres acquirere illos probabile est, quàm absque febre. Calor enim cui siccitas adiuncta sit, incalescente scilicet corde præ calore febrili potiùs quàm naturali, membranam fabricabit; neq; enim

par ratio eſse debet de membranis, quibus fœtus in vtero matris inuoluitur; quæ vi formatricis à naturali tantum calore perficiuntur; nullius enim hîc finis reperitur, in quem naturalis facultas conſpiret. Nulla vero arte concretam inde pituitam, ac ſuis propaginibus quaſi pedibus cordis ventriculis, & inde prodeuntibus venis & arterijs affixam deturbari poſſe exiſtimandum eſt; qua namque via egredi vel regredi poſſe conijcias lentam hanc concretamque viſciditatem; cùm vix per cęcos cordis anfractus ac per anaſtomoſes vel craſſiuſculo ſanguini detur exitus? atque interim ſæuiſſima accidentia ſic affectos corripiant; vt in propinquo mors adeſſe videatur? Ibi igitur detenta calorem natiuum & influentem, cuius fons & ſcaturigo cor eſt, labefactare ſenſim, ac modò longa dierum ſerie modo breui tempore extinguere poterit; vt ex antea allatis obſeruationibus conijcere licet. Sub Polypi vero forma non diu ibi conſiſtere poſſe putandum eſt viuente homine; ſed exiccata vt minus ſpatij occupet, ac minus putredini reddatur obnoxia; etiam vltra bimatum (quod vitæ ſpatium Polypo piſci, ſi Plinio credas, præſcriptum fuit) ibi poterit immorari. Optabile itaque eſſet, vt id cordis Polypo tunc accideret, quod de Polypo piſce, licet falsò à nonnullis ſcribitur, quod ſcilicet brachia ſua rodere aduentante hyeme conſueuerit; vel quod ipſi Polypi faciunt, inuicem ſibi

ipſis

ipſis eſca fierent. Obijſſe verò ægrotosper hanc Autumni conſtitutionem non ex Polypo tantùm arbitror; ſed ex maligna febre, cui putreſcentes Polypi malignum quid addere viſi ſunt, ipſius cordis robur putri halitu diſſoluentes, vt putredinem in poſterum vincere nequiuerit. Cum itaq; morbo iam facto nulla ſalutis ſpes affulgeat, ſola ſupereſt præſeruandi ratio; qua caueri poteſt ne ſanguis gignatur impurus, pituitoſus ac melancholicus. Detergentibus prætereа atq; incidentibus medicamentis quàm primùm morbo obuiam ire opportunum fuerit; quæ non aliter ac Congri vel Paguri antequam in Polypum abeat, viſcidam hanc pituitam liguriant vel exterminent. Quare mirari ſubit illorum ſtupiditatem, qui conſuetas horrent expurgationes; eò dementiæ aut potius inſcitiæ adducti, vt vereantur ne praui humores in corpore contenti exagitentur ac morbos pariant; neſcientes prauos humores in corporibus aliquando per totam Æſtatem, itemque Autumnum, vel etiam Hyemem deliteſcere, ac in dies deteriorem naturam induere; vnde plerumque morbi populares, qui dubio procul opportunis præſidijs præcaueri poterant, in humanam ſcenam, vt cum Chymicis loquar, ſtatutis temporibus prodeant. Coronidis loco diſquirere cogitabam, cur per hanc Autumni conſtitutionem præſentis anni 1648. adeò frequenter Polypi iſti

in corde inuenti sint; vt ex quindecim qui ex maligna febre interierunt, diligentissimè hucusque dissectis, duodecim cordis Polypo laborasse deprehensi sint; cum alioquin rara sit affectio, & à paucis hactenus animaduersa: ac denique vndenam pedes illi vel appendices enascantur, quibus intra venas, & arterias Polypi se se insinuant. Verùm vt ad primum accedam, cum Galenus 3. *de præsag. ex puls. cap.* 3. obiter huius euentus causam attigerit, ac in quibusdam constitutionibus per quas malignæ febres vagantur, crassos ac pituitosos humores in cordis ventriculis reperiri scribat; superuacaneum duxi hac de re longiorem instituere narrationem; ac præsertim cum ad te scribam, quem in Galeni lectione versatissimum esse scio: placet verò eius verba referre, ne si fortè in aliorum manus epistola peruenerit, fucum legentibus facere voluisse videar. *Nonnumquam,* inquit, *percipitur in corde pugnantia temperamentorum; nam modo frigidius visceris corpus æquo est, & in ventriculis contenta substantia calidior, modò è diuerso substantia frigidior cor autem calidius, vbi etiam pulsus fiunt moderatis similes, nam medius quodammodo status sic efficitur ex duobus contrarijs conflatus; qui sanè affectus vel optimos Medicos fallit, quod nunc quoque in maxima pestilentia accidit.* Hæc Galenus. Ex quibus manifestè deduci potest non solum quæ sit huius Polypi materialis & efficiens causa, & quo tempore

præsertim

præſertim Polypi fiant; ſed etiam, quod poſtremo loco mihi explorandum propoſueram. Inde euincitur appendices illas non eſſe extenti Polypi pedes; etenim cùm pituitoſus humor aliquando non minus in cordis ſinibus, quàm in proximis vaſis detineatur, ibique calore quantumuis valido concoqui ac diſſipari nequeat; vno eodemq; tempore quo Polypus in corde gignitur, in vaſis cordi proximis pro ratione latitudinis vel anguſtiæ illorum vaſorum in eam Polypiformem figuram concreſcit; vt eiuſdem Polypi quaſi pedes vel potius oſtreorum cirros exprimat, vel imitari videatur. Hùc facit hiſtoria quam Adrianus Spigelius *libro 2. de febre ſemitertiana* ex Elideo ſic refert. *Elideus de Paduanis inſignis præſenti ſeculo Practicus in Noſocomio Bononienſi cadauera ſecuit mortui à diuturna quartana; in huius corde, venis, omnibuſq; membris inuenta ſunt fruſta magna, longa, alba, pituitoſa*. Sed de Polypo iam ſatis; nam vereor ne ſicut Polypi comeſti, quod Hippocrates affirmat, oculos grauant; ſic epiſtolæ huius prolixitas tuis oculis alioquin oculatiſſimis caliginem offundat; ac me Polypoſum potius quàm naſutum cum Martiali in poſterum voces. Hucuſque ſcripſeram cum ad noſtras manus Nicolai Tulpij Amſtelredamenſis Medici (quem Ioannes Antonides Vanderlinden in præfatione ad humani corporis fabricam Spigelij, magnum Virum, grauiſſimum, feliciſſimum, facun-

facundiſſimumque vocat) obſeruationes nuperrimè excuſæ peruenere; in quibus non ſolum Polypi cordis meminit, ſed illius iconem pictura quoq; diligentiſſimè expreſſit; Meminit quoque Fabritius Bartolettus de difficili reſpiratione; vt quæ nos ſub hac morboſa conſtitutione obſeruauimus, alios etiam ſub alijs temporibus vidiſſe atq; obſeruaſse mirum non ſit. Vale.

LAVS DEO.

